UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jubilæum Sæculare Ecclesiæ Catholicæ Per Septendecim Sæcula Militantis & Triumphantis Contra Idololatriam, tyrannos, hæreses, schismata, errores, & scandala

Per Septendecim Sæcula Militantis & Triumphantis Contra Idololatriam, tyrannos, hæreses, schismata, errores, & scandala ; Ex Annalibus Ecclesiasticis collectum Pro Xenio Oblatum Academicæ Sodalitati Dominorum B. Mariæ Virginis Annunciatæ Herbipoli, Anno ...

Herbipoli, 1701

urn:nbn:de:hbz:466:1-64765

Visual Library

N
15 Th. 4997

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

JUBILÆUM SÆCULARE ECCLESIÆ CATHOLICÆ PER SEPTENDECIM SÆCULA IN TERRIS MILITANTIS ET TRIUMPHANTIS

Contra Idololatriam, Tyrannos, Hæreſes, ſchiſmata, erro-
Coll: Sorres & ſcandala. Paderb
Ex Annalibus Eccleſiaſticis Cardinalis Baronii aliorumq; Scriptorum collectum.

PRO XENIO OBLATUM

Sodalitati Academicæ B. MARIÆ VIRGINIS ANNUNCIATÆ

HERBIPOLI ANNO M.DCC.I.

CUM PERMISSU SUPERIORUM.

Typis Joannis Michaëlis Kleyer, Univ. Typogr.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PARS TERTIA JUBILÆI SÆCULARIS,

Quinque Sæcula HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

Ab anno 1000. ad 1500.
complectens.

* * *

S. Augustinus ad Honoratum Manichæum lib. de util. cred.

Si jam satis tibi jactatus videris, finemq; hujusmodi laboribus vis imponere, sequere viam Catholicæ disciplinæ, quæ ab ipso Christo per Apostolos ad nos usq; manavit, & ab hinc ad posteros manatura est.

AD MODUM REVE-
RENDO PERILLVSTRI ET
GRATIOSO DOMINO,

D. IGNATIO THEOBALDO HARTMANNO à REINACH,

Ecclesiæ Cathedr. Herbipol.
& Equestris Comburgensis
CANONICO
CAPITULARI,
Reverendissimi & Celsissimi
Princ: & Episc: Herbip.
CANCELLARIÆ
PRÆSIDI,
Sodalit. Majoris Academicæ
PRÆFECTO.

Admodùm Reverendis,
Perillustribus, Prænobilibus, Magnificis, Eximiis, Consultissimis, Experientissimis, Prudentissimis

MAGISTRATIBUS SODALITATIS.

* * *

D. FRANCISCO SCHILD, Eccl. Colleg. in Haugis Canonico Capitulari, Reverendissimi & Celsiss. Principis Consiliario in Spiritualibus.

D. JOANNI GEORGIO FRIES, Reverendiss. & Celsissimi Principis Consiliario.

DD. ASSISTENTIBUS.

* * *

D. Ambrosio Abbati Monasterii Scotorum Ordinis S. Benedicti.

D. Joanni Sebastiano Margraff, *dicto* Marschall, Eccl. Colleg. in Haugis Decano, Reverendiss. & Celsiss. Princ. Consiliario in Spiritualibus, Vicariatûs & Consistorii Assessori.

D. Friderico Joanni Georgio L. B. de Sickingen, Eccl. Imper. Bamb. & Cathedr. Herb. Canonico Capit. Reverendiss. & Celsiss. Principis Consiliario, & Cancellariæ Præsidi.

D. Heriberto Camerario de Wormatia L. B. à Dalberg: Ecclesiæ Cathedralis Herbipolensis Canonico Capitulari.

D. Philippo Braun, Ss. Theolog. & J. U. Doctori, Protonotario Apostolico, Eccles. Colleg. in Haugis Canonico Cap. Prædicatori & Custodi, Reverendiss. & Celsissimi. Principis Consiliario Intimo.

D.

D. Joanni Philippo Schüll, Can. Cap. in N. M. Reverendiſſimi & Celſiſsmi Principis Conſiliario in Spiritualibus.

D. Joanni Gernert, Ss. Th. Doctori, N. M. Can. Cap. Reverendiſs. & Celſiſs. Principis Conſiliario in Spiritualibus.

D. Marco Philippo Haan Jur. Licentiato, Reverendiſſimi & Celſiſs. Principis Conſiliario, Feudorum Præpoſito.

D. Franciſco Ignatio Schild, U. J. Licent. Reverendiſs. & Celſiſs. Principis Conſiliario.

D. Joanni Wilhelmo Stadler, J. U. Doct. Reverendiſs. & Celſiſs. Princ. Conſiliario, & Conſulenti Præpoſituræ Haugenſ.

D. Ignatio Philippo Conrado Weygand, Jurium Doctori, & Profeſſori Ordinario.

D.

D. Joanni Joachimo Bentz, U. J. Doctori, Vicariatûs & Consistorii Assessori.

D. Joanni Adamo Wachter J. U. Doctori, Vicariatûs & Consistorii Assessori, Judicii Provincialis Consulenti.

D. Joanni Krieg, N. M. Canonico Capitulari.

D. Joanni Bartholomæo Keller, Consuli Urbis, & Universitatis Receptori.

D. Laurentio Heilgenthal, Senatori Herbipolensi.

D. Joanni Adamo Simon, Cellario in Haugis.

D. Joanni Melchiori Zorn, S. T. Vicario, & Succentori.

D. Joanni Valender, Summi Templi Vicario.

D. Valentino Benckart, Vicario, & Succentori in Haugis.

D.

D. Joanni Nicolao Trautwein,
Novi Monasterii Vicario.
D. Jacobo Raum, Vicario ad
S. Burchardum, Sub-Custodi,
& Succentori.

DD. CONSULTORIBUS.

D. Joanni Francisco Bauman,
Judicii Civici Assessori.

SEGRETARIO

Dicant,
Dedicant,
Consecrantq;

Consodales Mariani.

SÆCULUM UNDECIMUM,

Continens res in Ecclesia memorabiles, quæ contigerunt ab anno 1000. ad annum Christi 1100.

DECAS I.

Ab anno Christi 1000. ad 1010.

(1001.)

TAnta fuit Sæculi hujus iniquitas, & morum corruptela, ut ferreum Sæculum ab Historicis appellari meruerit propter perditissimos mores Christianorum; Unde etiam pessimè sibi conscii mortales, pleriqúe nonnullorum pseudo-Prophetarum mendacio fidem dederunt, asserentium, quòd annus primus supra millesimum à Christo

nato, quando Annunciatio Dominica in Paraſceven incideret, Anti-Chriſtum palàm oſtenſurus, & univerſali ruinâ mundum everſurus eſſet. Et hoc quidem exigebant corruptiſſimi mores; verùm metus vanus fuit. Non tamen inde orbis terrarum emendatus, ſed pejor effectus eſt: deficiebat enim Epiſcoporum religioſitas, marceſcebat regularis Abbatum diſtrictio, monaſterialis diſciplinæ vigor tepeſcebat, ac per illorum exempla cætera plebs mandata Dei infrunitâ quâdam licentiâ prævaricabatur. Nihilominùs hoc tam deſerto tempore fructifera germina ſanctitatis non defuerunt, quorum bona opera ad conciliandam Dei miſericordiam valuêre.

Otto Imperator Romam pergit, & Joannam viduam Creſcentii, à ſe necati, in uxorem, vel ut alii volunt, in concubinam aſſumit, dehortante eum ab infami hoc facinore Heriberto Archi-Epiſcopo Colonienſi, & S. Romualdo inſuper de deſerendo ſæculo, & vitâ religioſâ amplectendâ (ad cujus ſuſceptionem ſe voto obſtrinxerat) ſeriò & minaciter admonente. Sprevit & hujus monita, & illius conſilia Cæſar, ſed mox pœnas meritas luit; nam & Romani Duce quodam Gregorio in eum conſpirant, & eodem tempore, quo hos Romæ punit,

punit, complures Principes adversùs eum in Germaniâ rebellant.

Obiit hoc anno HugoMarchio Etruriæ & Dux Urbis (præcipuus hic erat Magistratus) vir pius & liberalis, & omnibus virtutibus exornatus; qui puer, matrem VillaniMarchionis Bonifacii filiam exemit suspicione adulterii: cùm enim Ubertus pater ejus indignationem primi Ottonis incurrisset, ac deinde conjuge (quam gravidam nesciebat) relictâ, in Pannoniam profugus exulâsset, post longum verò tempus resumptus in gratiam rediîsset, conjugem cum grandiuscula prole reperiens, negavit se ejus esse parentem, quousque re diutiùs ventilatâ, sic inter eos conventum est, ut puer in medio multorum Procerum constitueretur, inter quos & pater, quem nunquam ipse viderat, nullâ à cæteris varietate distinctus sederet; & tunc si patrem blandiens puer adiret, ab omni suspicione matrem purgaret: quod & contigit: omissis enim omnibus ad patrem accurrit, eumque blandimentis & osculis ita suaviatus est, ut omnium judicio hic filiolus & ille genitor agnosceretur.

✲(1002.)✲ Otto III, Imperator obiit: causam mortis fuisse ferunt, quòd ejus spe frustrata Crescentii quondam uxor, quæ

ex amatoriis pollicitationibus Imperatorias nuptias conceperat, ultionis ſtimulis agitata chirothecas veneno illitas ei, quaſi pignus amoris dederit, quibus ille uſus, morbo lethali confectus, in eoque ſtemma Ottonum regnantium penitus extinctum eſt, Deo ulciſcente delicta, quæ in Sedem Apoſtolicam perpetrârunt, pro arbitrio Pontifices amovendo & ſurrogando.

Henricus Bavariæ Dux Ottoni ſucceſſit in Regnum Germaniæ, & poſtea in Imperium, educatus à S. Wolffgango Epiſcopo Ratiſponenſi, & inauguratus à Willigiſo Archi-Epiſcopo Moguntinenſi.

S. Stephanus primus Rex Hungariæ ductâ ejuſdem Henrici ſorore Giſelâ, ſive Giſlâ, ſapientiſſimâ Reginâ, totum ſe amplificando cultui divino impendit: cujus vicißim res & regnum Deus curavit, datâ illi nobili victoriâ contra avunculum Gyulam Tranſylvaniæ Principem, quem Fidei Chriſtianæ infeſtum bello vicit ac ſubegit, eumque cum Tranſylvanis ad fidem pertraxit: Bulgaros quoque Hungariam invadentes Dei ope ſuperavit.

Hoc anno Normanni primò in Italia enituerunt. Horum enim 40. Nobiles ex Hieroſolymitanâ peregrinatione redeuntes Salernum appulerunt, quam urbem Sarace-

raceni obsidebant: hi enim arma petentes à Guaimario urbis Principe, & equos, hisque instructi in Arabas irruerunt, magnâque clade affecerunt, multis interemptis, & cæteris in fugam aversis: cùmque à Principe multis oblatis muneribus retinerentur, neutrum admisêre, Deo & Religioni pugnare contenti; exinde ad suos reversi ostendêre quid gens illa in suos ac Christi hostes possit.

✲(1003.)✲ Sylvester II. Papa moritur, cui subrogatur Joannes XVI. ab aliis numeratus XVII., & huic post menses quinque & aliquot dies Joannes XVII. ab aliis XIX. quam diversitatem numerandi intrusi pseudo-Pontifices effecerunt.

Multæ Ecclesiæ passim per orbem Christianum exstruuntur.

✲(1004.)✲ Celebrantur varia Concilia provincialia tum in Italiâ tum Galliâ, quæ Robertus Rex Francorum ardente zelo promovet, & Conventus Ecclesiasticos præsentiâ suâ plurimùm exornat, tam reverens erga Episcopos, ut cùm videret aliquando Lambertum Ligonienſem Episcopum carnis mole prægravatum absque suppedaneo dependulis pedibus molestiùs in Synodo Episcoporum sedere, protinùs ille suppedaneum quærens, illud suis

manibus ſuppoſuerit. Sed quos humili obſequio venerabatur, eoſdem zelo Fidei Catholicæ, ubi neceſſe erat, redarguere non prætermiſit. Aculeum reprehenſionis ſenſit Leuthericus Senonenſis Archi-Epiſcopus, qui dum in porrectione hoſtiæ ad illa verba à Sacerdotibus proferri ſolita: *Corpus Domini noſtri JEſu Chriſti ſit tibi ſalus animæ & corporis*, polluto ore temerariè adderet: *Si dignus es, accipe.* Cùm tamen nullus ſit, qui dignus habeatur; à pio Rege correptus, & tanquam ſeminator ac propagator Sacramentariorum hæreſis, quæ hoc anno emergere cœpit, repreſſus conticuit. Realem enim præſentiam in Sacramento Euchariſtiæ Leuthericus contra communem Eccleſiæ ſenſum in dubium revocare cœperat. Berengarius quoq́; tunc adhuc adoleſcens eandem juvenili temeritate impugnare auſus, quantumcunq́ue Fulbertus Carnotenſis (quo Magiſtro tunc Berengarius utebatur) dehortaretur, ne in diſputationibus Fidei Catholicæ limites tranſiliret.

✲(1005.)✲ Henricus Rex Germaniæ venit in Italiam, atq́ue Harduinum, qui ſibi titulum Regis Longobardorum arrogârat, debellat. Ticini autem, quam victor ingreſſus eſt, ſæva coorta eſt ſeditio cives

inter

inter & milites, quæ in ipsum Henricum redundavit, qui in ipso suo palatio obsessus est. Verùm rudes cum exercitatis dimicantes victi sunt, & urbs cædibus incendiisque deformata, frustrà repugnantibus Henrico Rege, &, qui ei erat à consiliis, S. Heriberto Archi-Episcopo Coloniensi. Posthæc Papiæ ab Archi-Episcopo Mediolanensi in Regem Italiæ coronatus, & inde reversus tumultuantes in Germaniâ Principes, ac Boleslaum Ducem Poloniæ sibi infestum devicit, & in ordinem redegit.

✠(1006.)✠ Fuit hoc anno tanta famis ac pestis simul grassantis per totum orbem sævities, ut sepeliendis mortuis vix vivi pares sibi viderentur, & lassitudine ac tædio sepeliendi vivos adhuc spiritum ægrè trahentes cum mortuis pariter humarent. Eluxit etiam in pauperes eximia charitas Odilonis Cluniacensis Abbatis, non jam libera amplius, sed necessaria, nec ex liberalitate tantùm, sed ex justitiâ propter acerbissimam famem ubique locorum furentem.

Bamberga civitas Henrico charissima facta est Episcopalis: quam sedem ipse Rex ex propriis magnificentissimè dotavit, & propter conditorem facta est deinceps toti Ecclesiæ venerabilis.

✠(1007.)✠ S. Wolffgangus Ratiſponenſis Epiſcopus jam vitâ functus Henrico in ſomnis apparens juſſit, ut legeret in pariete caracteres deſcriptos, in quibus exaratos videns has voculas: *Poſt ſex* iis mortem ſibi prænunciatam exiſtimans, multis precibus per ſex dies, ſex hebdomadas, totidemque menſes ad eam fruſtra ſe paravit, & poſt ſex demum annos intellexit, non mortem, ſed Imperium gloriosè ſibi prænunciatum eſſe.

Fulbertus vir doctiſſimus, & omnium votis expetitus creatur Epiſcopus Carnotenſis, ex Monacho S. Petri Carnotenſis. Præſul fuit incomparabilis, cui Deus Prophetiæ ſpiritum infudit, unde etiam factus eſt plurium Epiſcoporum & Regum Doctor & Magiſter: ipſius enim dehortatione multi Principes Eccleſiæ bonis ſaginati rapta reſtituerunt, & Fulco Comes Andegavenſis pœnitentiam egit, repetitâ ad loca ſancta peregrinatione tertiâ vice. Sic ut Fulberto jure muralis corona debeatur, qui hoc ſæculo primus ſuperavit muros Babyloniæ civitatis, cujus Principes tyrannicâ violentiâ jura Eccleſiaſtica occupârant.

✠(1008.)✠ S. Bruno Epiſcopus in Pruſſia, & S. Bonifacius Ottonis Imperatoris

toris Propinquus, miraculis magnis illustris, in Russia Martyrio coronatur. Adspirans ad similem coronam S. Romualdus in Hungariam ac alia loca Infidelium pergere statuit; sed cùm progrederetur morbo detentus, cùm consisteret eodem levatus, sic ad suam eremum regredi coactus est. Ex ejus tamen sociis quidam ultra pergentes flagellis cæsi atque venditi, sanguine suo atque libertate Dei gloriam & proximorum salutem promoverunt.

✲(1009.)✲ Joannes XVII. seu XIX. Papa moritur, quo sedente Ecclesia Constantinopolitana cum Romanâ reconciliatâ & à Sergio Patriarcha Joannis nomen in Diptycha relatum est. Eidem suffectus est Petrus Episcopus Albanensis dictus Sergius IV.

Judæi Aurelianenses in Franciâ miserunt quendam habitu peregrini cum litteris baculo inclusis ad Ammiritanum Babyloniæ Principem, monentes eum, nisi subverteret Sepulchrum Christi Hierosolymis, ejus Regnum à Christianis brevi exscindendum. Quod illicò ex parte præstitit, eversâ etiam S. Georgii ecclesiâ, quòd in eam ingressi Saraceni cæcitate percuterentur. Hæc malitia Judæorum, cùm in Occidentem perlata esset, Judæi communi

consensu & decreto ex omnibus urbibus Christianis expulsi, ac plurimi illorum trucidati sunt. Gerulus autem ille litterarum Aureliis vivus exustus, meritum peregrinationis præmium retulit. Neque diu impii Judæi fructu malitiæ suæ potiti sunt, eodem enim anno Maria mater Ammaritani mulier Christianissima idem templum reædificare cœpit, confluente ad S. Sepulchrum innumerâ multitudine fidelium, & ad reparationem Domûs Dei munera conferente.

✲(1010.)✲ Saraceni in Hispaniâ in parvas Satrapias dividuntur, quas si aggressi tunc fuissent Christiani Principes, omnes facilè expulissent, sed maluerunt cum iisdem matrimonia inire, ac pro iis decertare, Episcopis etiam venientibus in hujus sceleratæ militiæ partem, & vitam suam impiè inter arma exponentibus, quàm Christo & Ecclesiæ ejus ac gregibus reservare debuissent.

DECAS II.

Ab anno 1010. ad annum 1020.

1011. ✲ ECclesia Bambergensis ab Henrico Germaniæ Rege erecta ac dotata, con-

consecratur, & eâdem occasione Synodus 300. Episcoporum, inter quos etiam Joannes Patriarcha Aquileiensis, qui & Sacra obiit, magnâ solennitate celebratur.

Dani (quod S. Dunstanus prædixerat) omni crudelitatis genere Ecclesiam Anglicanam persequuntur, incendunt, vastant, trucidant, nullo vel sexûs, vel ætatis, vel conditionis discrimine, cúmque deferbuisset furor, superstites omnes ita decimârunt, ut ex decem novem interimerent. Inter cæteros Martyrio coronatus est S. Elphegus Cantuariensis Archi-Episcopus. Dani autem in patriam redeuntes, naufragio mulctati sunt, & spolia atque vitam miserrimè perdiderunt.

Pugnatum quoque acriter à Longobardis, Normannis & Bulgaris contra Græcos cùm terræ motus ingens Constantinopoli belli hujus prænuncius extitisset.

✲(1012.)✲ Obiit Sergius IV. cui successit Benedictus VIII. Episcopus Portuensis, cui oppositus est à quibusdam Gregorius, à quo potentiore fugatus legitimus Pontifex confugit ad Henricum, ut sic alter alteri esset præsidio, hic crearetur Imperator, ille datam à Deo sibi Sedem quietè possideret.

Sclavi à Fide deficientes Ecclesiam Saxoni-

xonicam perturbant, & multos Martyrio afficiunt.

S. Colomannus ex progenie Regum Scotiæ rediens ex peregrinatione Hierosolymitanâ in Austriâ ab impiis in arbore suspenditur, quæ arbor diu arida refloruit, ac ipse post mortem multis miraculis claruit. S. Macarius Patriarcha Antiochenus à multis miraculis Orienti notissimus, ut meliùs lateret in Occidentem venit, & in Flandriâ patriâ suâ terrestri spontaneè exul in cœlestem migrat,

✠(1013.)✠ Henricus Harduicum, qui se Regem Longobardorum dixerat, & cum Boleslao Poloniæ Duce armis conjunctus erat, oppressurus Romam venit, eoque oppresso Benedictum restituit: qui mox Henrico Romam venienti obviam processit, obtulitq; pomum aureum gemmis distinctum, in quo Crux eminebat, Orbis Christiani possidendi tessera; quod Henricus statim dono dedit Monasterio Cluniacensi, quæ tunc sub Odilone maximæ sanctitatis officina erat: eódem etiam Coronam suam misit, quam S. Odilo tempore famis distraxit, ut pauperes aleret.

✠(1014.)✠ Benedictus Papa restitutus in Sedem ab Henrico Rege, eundem cum uxore suâ S. Chunegunde Imperatoriâ Coronâ impositâ Augustos inaugurat. Henricus

ricus autem viciſſim confirmat patrimonialia olim Apoſtolicæ Sedi ab anteceſſoribus ſuis donata, fautoremq́; ac Patronum Eccleſiæ taliter ſe profitetur, ut nihil cuperet poſſe, niſi quod Dei gloria poſtularet.

✲(1015.)✲ Erneſtus Alemanniæ Dux in venatione ſagittâ caſu vulneratus, & morti proximus, cùm Presbyterum non haberet, apud quem peccata ſecretò deponeret, ea coram Deo & hominibus adſtantibus expoſuit, ut eâ demiſſione verum & ſincerum dolorem obtineret à Deo, in hoc caſu ad delendum peccata ſua neceſſarium.

✲(1016.)✲ Benedictus VIII. Papa Saracenos Eccleſiæ littora infeſtantes comparatâ validâ claſſe, ad internecionem delet, ipſorum Rege fugâ dilapſo, Reginâ autem captâ, & capite truncatâ. Unde ſupra modum turbatus Rex ſummo Pontifici ſaccum caſtaneis plenum rranſmiſit, cum minis, tot ſe proximâ æſtate milites contra Pontificem ducturum: Pontifex autem eidem marſupium milio plenum remittens, tot ipſum loricatos vel plures in Italiâ inventurum ſignificavit.

In Angliâ Canutus ſeu Knutus Rex Danorum & Anglorum, utriuſque Regni Ecclе-

cleſias calamitatibus variis afflictas & miſerè vaſtatas reſtaurat, meritò Magnus nuncupandus ob res fortiter geſtas, ſed ob pietatem & religionem Maximus.

✲(1017.)✲ In Aquitania tribus diebus ſanguine pluit circa ſolſtitium æſtivum, quod prodigium eodem anno gravia bella conſecuta ſunt, inter Guilhelmum Aquitaniæ Ducem, & Gottfredum Antegavenſem,

Aureliis in Gallia peſtilens quædam mulier Manichæa multos è Clero populóque ſeduxit, quos inter Eccleſiaſticâ auctoritate pollentes fuerunt Heribertus & Liſoïus. Cui malo ſtatim Robertus Rex Francorum providit, multis exuſtis, aliis fugâ dilapſis; quorum aliqui Toletum in Hiſpaniam pervenerunt, ubi eoſdem ignes repererunt, quos in Galliâ vitaverant.

HÆRESIS HERIBERTI ET LISOII.

1. *A Peſtiferâ quâdam muliere ex Italiâ veniente ſeducti, ſparſerunt, fabulas eſſe, quidquid in veteri ac novo Teſtamento de Deo trino & uno dicitur.*

2. *Cœlum & terram ab æterno eſſe abſque principio.*

3. *Voluptatum carnalium flagitiis non eſſe repoſitam vindictam.*

4. *Omne Chriſtianorum opus pietatis & juſtitiæ laborem eſſe ſuperfluum.* (1018.

✲(1018.)✲ Abotriti & Avari Sclavonici populi à fide apoſtatæ magnas Eccleſiis Borealibus clades inferunt.

Rudolphus Nortmannus excitatus à Benedicto Papa, ut in Græcos bellum gereret, eoſdem tribus magnis prælis in Apulia devincit.

✲(1019.)✲ Benedictus VIII. in Germaniam profectus hoc anno Eccleſiam Bambergenſem dedicavit, quam urbem Henricus & Chunegundis Summo Pontifici penitùs addixêre, ſic ut quot annis Bamberga civitas S. Petro equum album phaleratum cum centum marcis argenti perſolveret: ſed Henricus junior hunc cenſum redemit, ſubſtituto Benevento, non tantùm juſtè, ſed & liberaliter.

Sergio Conſtantinopolitano mortuo, ſucceſſit Euſtachius primus inter Presbyteros Regios.

✲(1020.)✲ Boleſlaus Polonorum Rex Eccleſias ſui Regni multis & pretioſis ornamentis illuſtravit, & perpetuis decimis locupletavit.

DECAS III.

✲ *Ab anno 1020. ad annum 1030.* ✲

1021. ✲ HEnricus S. Heriberto Archi-Epiſco-

piscopo Colonienſi ex ſiniſtris malevolorum delationibus graviter offenditur, ſed divinitùs admonitus de illius innocentiâ, eidem magna cum demiſſione reconciliatur: Heribertus autem miraculis clarus ex hac vita migrat.

Floruit circa hæc tempora Guido Arelatenſis Monachus, qui novam Muſicæ addiſcendæ rationem excogitavit, etiam pueris rudibus facilem, quam ob cauſam à Benedicto Romam evocatur & ab eo, atque Succeſſore ejus Joanne multis beneficiis meritò cumulatur.

✲(1022.)✲ Henricus Imperator à Benedicto Papâ & Italis ſollicitatus magno cum exercitu in Italiam venit, & Saracenos reprimit, Poſthæc cum Benedicto Caſſinum pergit, ibique gravi morbo oppreſſus à S. Benedicto miraculosè reſtituitur.

✲(1023.)✲ Henricus Imperator rediens in Germaniam cum Roberto Rege Francorum in utriuſque Regni limitibus amiciſſimè conveniunt, & colloquio habito ad propria redeunt, poſtea ambo ad Papam Benedictum conventuri, ut pacta inter eos confirmaret,

✲(1024.)✲ Benedictus Papa ex hac vitâ migrat, cui ſuccedit frater Benedicti, & ſi-

& filius Gregorii Comitis Tuſculani largitione pecuniæ & auctoritate parentis, ex laico factus Papa; qui tamen ſe poſtea à Pontificatu abdicans legitimè electus eſt, & dictus Joannes XX. aliis XVIII,

Euſtachius Patriarcha Conſtantinopolitanus per Legatos Baſilii Imperatoris Orientis, ac ingentia munera fruſtrà tentat impetrare, ut appelletur in Oriente Univerſalis, ſicut Romanus Pontifex Univerſalis appellabatur.

S. Henricus Imperator morti proximus, præſentibus Epiſcopis & Abbatibus Chunigundem conjugem propinquis ipſius virginem, & ipſe virgo reddit, raro inter potentes exemplo, ac die ſequenti obit.

Conradus Wormatiæ Dux ſuccedit in Regnum Germaniæ, qui à Burchardo magni nominis Epiſcopo quaſi adoptivus ſuſceptus & optimè inſtitutus fuit.

✲(1025.)✲ S. Chunegundis die anniverſario obitûs Henrici conjugis in Confugienſi Monaſterio, quod erexerat, depoſitis ornamentis Imperialibus, & capillis truncatis ſuſcipit habitum.

Baſilius Imperator Orientis moritur, & ſolus jam imperat Conſtantinus frater ejus. Obiit eodem anno Euſtachius Patriarcha Conſtantinopolitanus ſubſtituto Alexio Archi-

Archimandritâ, magnæ prudentiæ & doctrinæ viro

Vitâ quoq; functus est Boleslaus Rex Poloniæ, propugnator acerrimus non minùs Christianæ religionis, quàm regni sui, cui succeſſit Mieciſlaus boni parentis malus filius.

✲(1026.)✲ Conradus nutritium ſuum S. Burchardum inviſit paralyſi laborantem, poſthæc in Italiam ſibi ferro viam patefecit, obſiſtentibus Longobardis. Cui cum magno apparatu occurrit Pontifex Joannes XX. ut eum Romam deduceret, ac Romanum Imperatorem coronaret.

✲(1027.)✲ Conradus medius inter Canutum Anglorum ac Danorum Regem & inter Rudolphum Ducem Burgundionum à Joanne XX. poſt acceptam diſpenſationem illegitimi matrimonii cum Giſelâ, coronatur, & redit Herbipolim.

Canutus dùm Papiâ tranſit, centum talentis argenti & uno auri emit brachium S. Auguſtini Epiſcopi & Doctoris, quod Conventriæ collocavit. Unde data eſt occaſio impoſtoribus reliquias fingendi & vendendi. Præcipuus autem & callidiſſimus quidam Mango tunc temporis erat, ignoti nominis & Patriæ, qui oſſa è tumulis eruebat, & tanquam ſibi ab Angelis revelata

(quo-

(quorum se colloquiis & osculis quotidie frui impudentissimè asserebat) pro reliquiis SS. Martyrum vendebat. Et cùm post innumeras ejusmodi deceptiones in Galliis patratas transfuga perveniisset ad Alpes, operâ etiam diaboli ad cadaver quoddam hominis mortui, quem Martyrem esse mentiebatur, multos infirmos variis morbis liberavit, & magnam apud vulgus auctoritatem sibi conciliavit, quanquam à nonnullis Antistitibus ut impostor ejiciendus censeretur, idque Divinâ etiam revelatione confirmatum esset. Hæc pluribus Glaber Monachus Cluniacensis, qui etiam examini impostoris aliquoties se interfuisse scribit. Sic nullo non tempore fuerunt in Ecclesiâ (quod etiam testatur Apostolus) *Qui quæstum pietatem putaverunt.* Et conqueritur idipsum S. Augustinus in Africa quosdam pseudo-monachos circuivisse, & ex reliquiis lucrum fecisse. Neque tamen Deus defuit fraudibus mirabiliter detegendis; neque error hic facti infallibilitatem Ecclesiæ evertit vel minuit.

Obiit hoc anno Romualdus Camaldulensis Ordinis fundator, cùm annis 120 vixisset, vir inclytus & miraculis clarus, multùm Principibus, Deo plurimùm charus.

Alphon-

Alphonsus V. Rex Legionensis sagittâ in prælio vulneratus obit, succedente eidem filio ejus Veremundo.

✲(1028.)✲ Constantinus Imperator diem obit, cui substitutus est Romanus eidem sanguine junctus: repudiatâ conjuge, ut Zoam duceret Constantini filiam, & sic Imperium pro dote acciperet.

S. Olaus Norwegiæ Rex Martyrio afficitur, Regnum immortale cum caduco transmutans.

Fulbertus quoque Episcopus Carnotensis, ut cælo frueretur, terras reliquit, vir sanctitate & favore Deiparæ speciali celebris, qui moriens quo potuit nisu Berengarium olim suum discipulum à se repulit, illum scilicet Sacramentariorum parentem, cui dæmonem videbat assistere, & quem nunquam à se vir impius, (palinodiam licèt sæpe recinens) abigere potuit.

✲(1029.)✲ Lemovicibus coactum est Concilium, ut videretur, utrùm S. Martialis ut Confessor, an ut Apostolus colendus esset: quod tamen nec in hoc, nec in tribus aliis, Picturicensi, Pictaviensi, & posteriori Lemovicensi dirimi potuit, donec tandem Romanus Pontifex decidit, & Apostolatûs honore Sanctum insignivit; sic lites auctoritate Sedis Apostolicæ compositæ quieverunt.

1030.

✲(1030.)✲ Conradus totius viribus Germaniæ movet adversùs S. Stephanum Regem Hungariæ, qui coactis copiis, ut se tueretur, causam suam Deiparæ patrocinio commisit; unde repentè mutatis animis omnium Ducum Conradi, universus exercitus pedem referre statuit, & Conradus divinam vim hujus mutationis advertens, cum Stephano pacem & fœdus init.

DECAS IV.

✲ *Ab anno Christi 1030. ad 1040.* ✲

1031. ✲ ROmanus Orientis Imperator totus in erigendis & exornandis Ecclesiis, multa præterea confert in templi Hierosolymitani reædificationem. Henricus & Robertus filii Roberti Franciæ Regis, quòd, patre dissimulante, duriùs à matre Constantiâ tractarentur, arma corripiunt adversùs patrem; verùm facto sequestro Guilielmo Abbate Divionense, positis armis se se submittunt, & patris clementiam experiuntur, quos matris malitia efferaverat.

✲(1032.)✲ Sancius major Rex Navarræ atque Castellæ aprum in venatione confugi-

fugientem inter rudera S. Antonii venabulo percussurus, divinitùs mox stupore brachii correptus, non priùs usum ejus recepit, quàm ejusdem Sancti Martyris patrocinio implorato, itaque non tantùm Basilicam illius reparavit, sed etiam civitatem Palentinam, ut esset deinceps tanti miraculi monumentum.

✲(1033.)✲ Fuit hoc anno horrifica eclipsis solis 3. Kalendis Julii, quo etiam Joannes Papa à suis Proceribus Sede suâ depulsus, sed à Conrado restitutus est, neque tamen diu superstes fuit. Obiit enim 6. Idus Novembris, cui suffectus est factione Alberici Comitis Tusculani, qui tunc omnia Romæ poterat, & duos fratres suos jam in Sede collocârat, ejus filius Theophilactus puer decennis, qui dictus est Benedictus IX. & omnem suum Pontificatum in luxuriis contrivit, ut loquitur Petrus Damiani, ex quo colligit Baronius, eum decenni majorem fuisse, & addit, quanquam ob mores inquinatissimos eâ Sede indignus esset, agnitum tamen fuisse tanquam legitimum à viris sanctissimis, quod non contigisset, si puer creatus esset Pontifex, & Pontificatum administrâsset. Neque hæc conjectura tanti Cardinalis explodenda videtur.

Eo-

Eodem anno obiit Robertus Francorum Rex sexagenarius, vir eruditissimus & pissimus, de quo etiam miracula referuntur ab Helgaldo. Non diu pòst magno Franciæ bono extincta quoque est uxor ejus Constantia, mulier nequam, turbulenta & ambitiosa.

⁂(1034.)⁂ Multa Concilia Diœcesana in Galliâ pro pace Ecclesiæ celebrantur.

Romanus Orientis Imperator ab uxore suâ Zoë veneno è vivis tollitur, eidemque operâ ejusdem Zoë Michaël quidam argentarius, à patriâ Phaphlago dictus (quem illa insano amore deperibat) in Imperio sufficitur. Addunt aliqui, quòd veneno nimis lentè mortem operante mortifera fœmina maritum suum strangulari jusserit, ut tantò citiùs adultero suo Michaële potiretur. Eâdem verò nocte Alexius Patriarcha minis partim & præmiis concitatus, Michaëlem Imperatorem inauguravit; Frater autem Michaëlis Joannes vir bellicosus, & rerum gerendarum peritus palatium ingressus, Zoëm Imperium administrare parantem sic repressit, ut absque ejus licentia ne balneum quidem ingredi auderet. Neque potuit Zoë formoso suo conjuge diu frui, brevi enim à dæmone turpissimo correptus, deformis energumenus ex-

extitit, quare relictâ urbe & Imperio Theſſalonicam ſeceſſit in Eccleſiam S. Demetrii Martyris, ubi aliquid levamenti, nunquam plenam valetudinem obtinuit; ſemper turpis, ſemper deformis, ut impudicæ ſuæ uxori terrorem incuteret, & ſceleris recordationem:

In Thraciâ ingens grando tecta, arborum ramos & pecudes & omne fructiferum germen proſtravit, ut graviſſima penuria ſecuta fuerit.

Polonia quoque morte Miecztlai plurimùm turbata eſt, Bohemis, Moravis Ruthenis, aliiſque populis, qui Polonis ſubditi erant, inſurgentibus, & Poloniam diripientibus. Caſimirus autem filius defuncti Regis unà cum matre exulare coactus à tumultuantibus ſuis Proceribus Cluniacum perrexit, & mutato nomine in Carolum, Monachus effectus ſub S. Odilone Abbate, & terrenorum omnium uſque ad nomen etiam oblitus eſt.

✲(1035.)✲ Sancius Navarræ & Caſtellæ Rex moritur, hæredem relinquens Ferdinandum cognomento magnum, qui poſteà virtute & pietate ac rebus geſtis parentem non tantùm adæquavit, ſed etiam ſuperâſſe viſus eſt.

Berengarius realis præſentiæ Corporis Chri-

Christi in Sacramento impugnator & Hæresiarcha detegitur & confutatur.

HÆRESIS BERENGARII SACRAMENTARIORUM ANTESIGNANI.

PAtriâ fuit Turonensis, Archi-Diaconus Andegavensis, magistro usus est adolescens, magno illo Carnotensi Episcopo Fulberto, veræ doctrinæ ac sanctitatis speculo, à quo sæpè objurgatus est, ut intra Catholicæ veritatis limites se contineret, & disputationem prætexens, non transiliret. Sed frustrà, evomuit tandem publicè virus quod conceperat, & disputando aliàs simulatè sæpiùs ructârat, docuitque publicè, in SS. Eucharistiâ non esse verum Corpus ac Sanguinem JESU Christi, sed ejus duntaxat figuram ac similitudinem. Quod idem Leuthericus antè tantùm susurraverat, Roberto Galliarum Rege os impudens fortiter opprimente. Quod igitur Sathan per Leuthericum Senonensem Archi-Episcopum præstare non poterat, id per Berengarium perfecit, Berengario opem, favorem & auctoritatem conferente Brunone Episcopo Andegavense. Ad hunc errorem pestiferum opprimendum celebrata sunt mox varia Concilia, Henrico Rege urgente & opitulante. Sicque Carcinomatis hujus propagationi obex partim positus ab Ecclesiâ, & partim phrenesin suam agnovit Berengarius, qui anno 1059. postmodùm sub Ni-

colao II. veræ fidei professionem edidit, & Pal nodiam recantavit, quanquam inconstans is hæreticæ pravitatis Vertumnus in lutum suum denuò se se ipsum immerserit. Donec anno 1079 post multas abjurationes & relapsiones seriò con versus errorem suum in plenoConcilioRomæ con gregato à Gregorio Papâ VII, confessus, petitâ que veniâ veram fidem professus est. Vixit post hæc annos adhuc multos usque ad Epiphaniam anni 1088. quo die propè nonagenarius vitam fi niens, hæc locutus est: Hodie in die Appari tionis suæ apparebit mihi Dominus meus JesusChristus propter pœnitentiam, ut spe ro, ad gloriam, vel propter alios, ut ti meo, ad pœnam. *Faxit Deus, ut, qui Calvini somniis dementati, Berengarij dogma hac tempe state instaurant, Berengarij quoque resipiscen tiam, pœnitentiam, & emendationem imitentur.*

Ajunt quidam, Berengarium quoq; aliquan dò fuisse magiæ deditum, eâdemque nocte Ro mæ simul & Turonibus (ubi & lectionem unam legit) extitisse.

Berengarius ut verè Sacramentariorum An tesignanus & dæmonis emissarius esset, contra Sacramenti Matrimonii reverentiam legitima matrimonia dissolvebat, & de parvulorrm bap tismo malè sentiebat.

✲(1036.)✲ Bohemi & alii vicini popu liPoloniamRege destitutam deprædantur.

Con-

Conradus Imperator in Italiam ad tumultus ſedandos redit.

Joannes frater Michaëlis Imperatoris ambiens Sedem Conſtantinopolitanam, Alexium Patriarcham conatur deponere, ſed tumultibus judicum, qui ab Alexio conſecrati erant, abſterritus conquievit.

✲(1037.)✲ Conrado in Italiam venienti Benedictus Papa ad Cremonam occurrit. Mox idem Imperator Mediolanum, quod rebellaverat, obſidet, & reliqua conjuratorum loca vaſtat, atque Italiæ Coronâ ſe inſigniri curat. Inter Coronationem autem, quæ facta eſt ſub Miſſâ in parvâ eccleſiâ ſecùs Mediolanum, tam terrifica fulgura & fulmina furebant, ut aliqui mente excederent, alii planè exſpirarent. Bruno verò Epiſcopus, qui Miſſarum ſolennia faciebat, & Secretarius Imperatoris cum tribus adhuc aliis teſtati ſunt, ſe Sanctum Ambroſium Imperatori comminantem ſpectâſſe, & exitus docuit minas non vanas fuiſſe, neque mentitos eſſe, qui hanc viſionem aſſeverabant.

Veremundo Hiſpaniæ Rege Legionenſi à Ferdinando Magno Caſtellæ Rege occiſo, juncta ſunt poſteà duo regna illa, & ex eo tempore Ferdinandus magnoperè Principatum ſuum propagavit, Conim-

bricam aliasque civitates Saracenis eripuit patrocinio S. Jacobi, quem impensè coluit & sepulchrum ejus frequenter Compostellæ visitavit & ornavit.

✲(1038.)✲ Gregorius cognomento Maniacus, vir fortissimus missus est à Michaële Imperatore ad expellendos è Siciliâ Saracenos; quod & præstitit, ac Constantinopolim rediens corpus S. Luciæ transtulit.

Conradus Imperator sollicitatus à Monachis Cassinensibus, quos Pandulphus Capuæ Princeps dirè vexabat, eundem suo Principatu dejecit, dum autem ab hac expeditione rediret in Germaniam, plures peste extinctos de suo exercitu amisit.

De Pandulphi, qui expulsus è Principatu diem suum obiit, æternâ damnatione, quam ob rapinas promeruit, Monachis Cassinensibus revelatâ, illud indicium fuit, quòd Vesuvius in morte ejus suprà modum accensus fuerit.

S. Stephanus Hungariæ Rex moritur, eique Petrus Alemannus succedit, sub quo magnis civilibus bellis, aliisque malis regnum distractum est, notumque fecit, prosperam regni fortunam ex Regis pietate atque virtute pependisse.

✲(1039.)✲ Conradus Trajecti in Fri-

siâ III. feriâ Pentecostes repentinâ morte extinguitur: cujus in regnum successit filius ejus Henricus: Imperium aliquot annis Rectore vacuum fuit, dum Henricus Germaniæ suæ, quàm Italiæ magis sollicitus esset, ne viciniora perderet, si quæreret remota.

Poloni Romæ apud Pontificem accusant Bohemos de templis spoliatis, & ablatis reliquiis bello sæviente. Volebat Benedictus IX. eas reddi, sed ejus Cardinales auro Bohemico corrupti eum impediêrunt, quò minûs raptores sacrilegos Ecclesiæ fulminibus afflaret. Unde videre est, ejusdem farinæ homines tum temporis fuisse tam Pontificem, quàm ab eo electos Cardinales.

✲(1040.)✲ Sancta Chunegundis ex Imperatrice Monialis, olim uxor S. Henrici moritur, Bambergæ miraculis post mortem illustris.

Saraceni Siciliam rursùs invadunt, sed iterùm à Casalaco Michaëlis Imperatoris in Oriente fratre, qui cum suis SS. Eucharistiâ præmunitis militibus fortissimè irruit, cæsi fugatique sunt occiso eorum Principe Apocafare, & immensâ auri argentique & gemmarum copiâ in castris obtentâ adeò ut milites inter se lapillos &

margaritas medimno dividerent. Sicque omnes divites, & Dux eorum glorioſus rediit.

DECAS V.

Ab anno Chriſti 1040. *ad* 1050.

1041. MOrtuo Michaëli Paphlagoni poſt criminis ſui confeſſionem & pœnitentiam peractam, ſucceſſit in Imperio frater ejus Joannes. Eodem verò tempore Zoë coronavit & adoptavit in filium Michaëlem V. cognomento Calephatem filium Stephani patruelis Imperatoris. Sed cùm hic ingratus Zoëm expuliſſet ſolio, & in Monacham attonderi juſſiſſet, exploſus à populo, & lapidibus impetitus in Baſilicam confugit, Zoëmque revocavit. Verùm ad Imperium jam evocata erat Zoës ſoror Theodora, quam ſub Romano Imperatore Zoà Monacham fecerat, ne imperare poſſet, quare ab eâ obtinuit populus, ut Michael ejúſque frater Joannes ab aræ detraherentur, & per urbem ignominiosè raptarentur, oculíſque privarentur, quod totâ plaudente urbe factum eſt.

Poloni Caſimirum à ſe expulſum, & jam Monachum profeſſum ac Diaconum ex

Clu-

Cluniacensi monasterio ad gubernandum reposcunt, & à Benedicto IX. Papâ sub hac conditione impetrant, ut Nobiles Poloni nummum S. Petro pendant, & Religiosorum more attondeantur, ac panno super candido in stolæ modum pendente exornentur, atque sic pro uno Monacho plurimi substituti videbantur. Casimirus autem regum Polonicum in integrum restituit, fudit hostes Angelico vallatus præsidio, atque ita se gessit, ut in cœnobio Majestatem Regiam non perdidisse, sed auxisse videretur.

✲(1042.)✲ Constantinus Monomachus, qui fuerat in exilium missus à Joanne Michaëlis fratre, & jam Monachus factus, revocatur, junctusque Zoë matrimonio, in Imperatorem Orientis acclamatur. Sed cùm pellicem superinduxisset sororem Romani Scleri, nihil propius factum, quàm ut exauctoraretur. Res tamen ultra verba & minas non processit. Ipse fortiter sẽ gessit in Imperio, & quod felicitate consecutus erat, fortitudine, rebusque gestis promeruit.

In Hungariâ Ilvo seu Ovo in Petrum S. Stephani successorem insurgit, & ab universis regnicolis Rex creatur, uno tantùm Gerardo Nobili Veneto Monacho anteà,

ac posteà Chanodiensi Episcopo refragante. Qui etiam Umbone conscenso Tyranno prænunciavit, quòd propter scelera sua non supra triennium Principatum esset delibaturus, & sic eventus comprobavit.

✲(1043.)✲ Alexio Patriarchâ Constantinopolitano vitâ defuncto sufficitur Michaël cognomento Cerularius ab exilio revocatus, qui missus erat à joanne fratre Imperatoris.

In Anglia ab exilio pariter revocatus S. Eduardus Rex Angliæ renunciatur.

✲(1044.)✲ Romani pertæsi vitiorum Benedicti IX. eum expulerunt operâ sui Consulis Ptolomæi viri ditissimi, & Tusculanis Comitibus oppositi, & ejus loco Sylvestrum suppositum. Dicebatur is anteà Joannes, & ex Sabinensi Sede pecuniâ in Petri Cathedram irrepsit. Cùm autem vix tribus mensibus sedisset, à Tusculanis expulsus est, & restitutus Benedictus: qui tamen redditus populo Romano supra modum invisus, & ut suæ libidini ulteriùs indulgeret, in paternam domum se recepit, sibi Joanne substituto: sicque Pontifices tres sedes funestabant S. Petrum, S. Mariam Majorem, & Lateranum, omnes impii, omnes scelerati. Hæc cùm videret religiosus quidam Presbyter Gratianus, vir

acer

acer & ingenioſus, tres illâs Pontificum larvas adiît, pactâque ſingulis pecuniâ, & reditibus Angliæ Benedicto (à quo plùs erat periculi) quàm diu viveret, relictis, ei perſuaſit renunciare diſcerptæ dignitati. Quamobrem Romani eum ſervatorem Eccleſiæ nominârunt, & creârunt Pontificem ſub Gregorii VI. nomine, laudatum à magnis viris hujus temporis, à Benone ejuſque ſequacibus tantùm infamatum, cùm tamen optimè de Eccleſiâ meritus ſit, & pecuniá non Pontificatum, ſed Eccleſiæ pacem redemerit.

Sæviit atrociſſimè fames in Gallia, Italia & Germania, ut homines ſe invicem devorarent: in caſâ unius mendiculi inventa ſunt 48. capita hominum, quorum ſe carne ſaginárat propè Matiſconem. Lupi ſubibant urbes, ut irruerent in homines, & poſt famem ſuperveniens peſtis perniciem ultimam his Provinciis minitabatur.

✲(1045.)✲ Propter receptum Caſimirum Polonia S. Petro fit vectigalis, impoſito ſingulis capitibus uno obulo, idque conſenſu totius regni, & Regis Caſimiri.

In Bohemia moritur S. Guntherus Eremita, S. Stephani Regis Hungariæ cognatus.

✲(1046.)✲ Henricus Germaniæ Rex in Italiam venit, & à Gregorio VI. Papá benignè

nignè excipitur, mox tamē in Sutrino Concilio habito persuadet Gregorio, ut Pontificatu se abdicet, eidemq; Suidgerum Episcopum Bambergensem substituit, qui dictus est Clemens II. atque hic statim Henricum in Imperatorem, & Agnetem ejus conjugem inungit & coronat. Gregorius autem tunc ostendit, quis esset, nimirùm pacis amantissimus, qui dum injuriam sibi factam, spesq; omnes condonavit Ecclesiæ.

✲(1047.)✲ Henricus rediens in Germaniam Clementem II. & Gregorium VI. secum deducit, & hoc anno moritur in Germania Clemens II. cùm 9. mensibus sedisset, & in Ecclesia sua Bambergæ sepelitur: quo audito Benedictus IX. tertiò Sedem Romanam invadit, homo ad perniciem suam, multorumque natus & factus.

Petrus per Imperatorem Henricum armis in Regem Hungariæ restituitur, occiso Ovone, sed Hungari mox Petrum ad pristinam crudelitatem redeuntem, exauctorant & excæcant, ac Andream Ducem revocatum ab exilio sibi Regem præficiunt, eâ lege, ut ipsis ad patrios ritus & idololatriam redire liceret. Quo obtento dirâ persecutione statim in Ecclesias ac Christianos sæviunt, & complures, Ecclesiasticos præsertim Martyrio afficiunt.

1048.

✲(1048.)✲ Henricus Imperator in locum defuncti Clementis II. Poponem Episcopum Brixiensem substituendum Romam mittit, qui omnium suffragiis electus fuit, & dictus Damasus II. sed post dies 20. extinctus est.

Moritur hoc anno S. Odilo Abbas Cluniacensis, vir admirabilis, & hominibus & Deo charus, ex cujus primâ institutione deducta est piissima consuetudo postridie omnium Sanctorum, Fidelium in Domino quiescentium memoriam celebrandi, accedente Sedis Apostolicæ auctoritate & confirmatione.

Turcæ, qui hactenùs ad Boream Cavensis montis consederant, & ad stipendia Principum vocati inde veniebant, eòque dotati spoliis redibant, à Persarum Rege Saraceno hoc anno vocati, & malè habiti, in eum arma sua converterunt, totâque Perside potiti sunt, & sensim Constantinopolim usque pertingentes, Asiâ minore perdomitâ, Orientale Imperium occupârunt, Occidentali quoq; terribiles, & propter militarem disciplinam formidandi.

✲(1049.)✲ Mortuo Damaso, & furente Romæ Benedicto Cardinales misêre ad Henricum Legatos, qui peterent ad se virum utilem Ecclesiæ mitti, quibus ille

ſubmiſit Brunonem Comitis Dagsburgenſis filium, Epiſcopum Tullenſem, qui aſſumpto habitu Pontificio tranſiens Cluniaco, monitus eſt ab Hildebrando Monacho(qui poſteà fuit Gregorius VII.) ut hunc cultum deponeret, pollicitus, hoc pacto illum & Henrico & Clero Romano gratum fore; quare in habitu peregrini Romæ ſuſceptus eſt, & creatus Pontifex ſub nomine Leonis IX. vir prudens & pius, ſignis & miraculis clarus.

✲(1050.)✲ Leo Pontifex Berengarium Hæreſiarcham in duplici Synodo, Romanâ & Vercellenſi condemnatum, a Fidelium cœtu excommunicat.

Michaël Rex Scotiæ ad limina Apoſtolorum devotionisergò venit Romam, ubi multa virtutum ſpecimina, & ſignatè profuſæ liberalitatis in pauperes exhibet.

DECAS VI.

✲ *Ab anno Chriſti 1050. ad 1060.* ✲

1051. NAtus eſt hoc anno Henricus III. ✲ patre Henrico II. matre Agnete Auguſtâ, quem utero gerens, viſa eſt draconem virulentum parere, quod ſomnium à Deo fuiſſe probavit evnetus.

1052.

✲(1052.)✲ Leo IX. proficiſcitur in Germaniam, ut Henricum & Andream reconciliaret, hunc contumacem expertus deſeruit, & illum parere promptum ſecutus eſt Wormatiam, à quo etiam obtinuit auxilium contra Normannos, non ſatis ſubditos ſanctæ Sedi.

Nova hæreſis hoc anno ex indiſcreto nonnullorum zelo exorta de Simoniacis reordinandis, quam tamen ſubitò Leo Papa IX. auctoritate ſuá, & Petrus Damianus ſcriptis opprimunt.

✲(1053.)✲ Leo IX. cum Henrico II. Imperatore tranſigit de bonis, quæ erant S. Petri in Germaniâ, ut fuit Abbatia Fuldenſis, Bambergenſis, &c. pro locis, quæ ad Imperatorem ſpectabant in Italiâ, commutandis; ſimulque ab eo exercitum accipit ad Nortmannos S. Sedi rebelles compeſcendos; ſed vario Marte feliciter infeliciter pugnans, tandem victus & captus eſt, veneratione tamen magnâ ſuſceptus, & honorificentiſſimè dimiſſus eſt. Captus ſcribitur Leo per proditionem Gebhardi Epiſcopi Aiſtettenſis, qui poſteà factus Pontifex Maximus, de hoc crimine vehementer indoluit.

Michaël Cerularius Patriarcha Conſtantinopolitanus ſcribit acerbè contra Roma-

nam Ecclesiam, speciatim contra Azyma, jejunium Sabbathi, contra suffocatum, & Alleluja omissum in Quadragesima.

HÆRESIS REORDINANTIUM.

Fuerunt hi falsi quidam dogmatistæ, qui specioso quodam prætextu impugnandæ sectæ Simoniacorum asserebant, Simoniacos ad Ecclesiam redeuntes, non esse admittendos, nisi reordinarentur, eò quòd irritam esse ordinationem Simoniacorum putarent.

MICHAËLIS CERULARII PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANI HÆRESIS

Errores suos coagmentavit ex Simoniacorum, Valesiorum, Arianorum, Donatistarum, Nicolaitarum, Severianorum, Pneumatomachorum, Manichæorum & Nazaræorum erroribus, unde facilè erit colligere, cujus farinæ fuerit.

HÆRESIS SIMONIACORUM SUB GUIBERTO ANTI-PAPA.

Simoniacorum hæresis, quâ venales fiebant Prælaturæ, hoc sæculum mirè infecit, & in Italiâ, Galliâ & Germaniâ ut pestis grassata est. Hujus autem mali fautorem se præbuit Guibertus Cancellarius (ille qui postea factus est Antipapa) pernitiosissimus homo, qui postmodùm Longobardiæ Episcopos Simoniacos & concubinarios

narios ad cogendum Conciliabulum incitavit, ſtatuendumque, ne aliunde Papam acciperent, quàm ex Italiæ Paradiſo ſic Longobardiam appellabat; Oppoſuerunt ſe fortiſſimè Clemens II. Papa, & Herricus anno præſertim 1047. & ultrà Conciliis convocatis, ut tanto malo mederentur; nec defuit Deus miraculo divinitùs oſtenſo tanti mali abominationem patefacere. Contigit enim, ut Hildebrandus Archi-Diaconus (qui poſtea Pontifex creatus & Gregorius VI. appellatus) unà cum Epiſcopis à Victore II. Papâ veniret in Provinciam Lugdunenſem, in eâque Synodum celebraret, in quâ Archi-Epiſcopus quidam litteratus & eloquens Simoniæ accuſabatur; verùm pecuniâ corruptis ſequenti nocte accuſatoribus, pretioque emptâ eorum amicitiâ, cùm in Synodum venirent, nemoque inſurgeret accuſaturus, Hildebrandus hominem interrogavit: Crediſné, ô Archi-Epiſcope, Spiritum Sanctum cum Patre & Filio unam eſſe ſubſtantiam Deitatis? *quo reſpondente,* Credo: *addidit Archi-Diaconus, dic ergo:* Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto, *tunc ille* Gloria Patri & Filio *expeditè dicebat, ſed* Spiritui Sancto *nullatenùs proferre potuit; unde advertens, ſe eadem iteratò tentantem nihil proficere, juſtoque Dei judicio ſe confuſum ſentiens, procidit ad pedes Archi-Diaconi, & ore ſuo Simoniacum ſe eſſe pronunciavit, & Epiſcopali offi-*

officio spoliatus, liberâ clarâque voce cecinit: Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto. *Quo miraculo eò usque territi sunt Simoniaci, ut præter viginti septem alios Prælatos Ecclesiasticos quadraginta quinque Episcopi hoc veneno se infectos esse, confessi sint, nullâque aliâ accusatione exspectatâ, se ipsi suis dignitatibus abdicârint. In hunc modum hanc historiâm describit post Cardinalem Nicolaum Aragonium, Cardinalis Baronius in gestis Summorum Pontificum.*

✠(1054.)✠ Leo Pontifex dum Cardinales in Legatione Constantinopolim mittit pro pace Ecclesiastica inter Græcos & Latinos, antequam hi redirent moritur miraculis in vita & post mortem clarus. Obiit etiam Constantinus Monomachus Orientis Imperator, eique successit Theodora Constantini X. filia, & Soror Zoës.

Ad hæc tempora refertur quoq; mors Benedicti Papæ intrusi & probri nefandi, de quo testatur Petrus Damiani in epistola, quã scripsit ad fratres eremi, eum viatori cuidam aliquando apparuisse in figura monstri, quod in caudam & aures asini desineret, & cætera ursus esset, eidemque viatori narrasse, se, quòd bestiæ in morem vixisset, æternùm damnatum esse, & usque ad diem judicii per dumosa & squallentia, per sulphurea, fætida, & aversa loca raptandum esse.

1055.

✲(1055.)✲ Gebehardus Aistettensis Episcopus annutu Imperatoris Henrici, & rogatu Populi Romani Pontifex eligitur, & Victor II. appellatur.

Florentiæ Concilium à Victore, præsente etiam Imperatore Henrico contra Simoniacos celebratur, & aliud in Gallia Turoronii auctoritate Hildebrandi Cardinalis Archidiaconi Legati à latere Pontificis, in quo Berengarius in hæresin relapsus, eandem rursus ejurare adigitur.

Romæ magnum periculum vitæ adiit Victor Papa, quando illi subdiaconus in calicem, dum mysteria peragit, venenum infudit. Quod Deus duplici miráculo detexit, Victore calicem consecratum attollere non valente, & Dæmone Subdiaconum invadente, à quo fraus patefacta est, atque Sanguis in altari repositus, & servatus ad perpetuam tanti miraculi memoriam. Veneficus autem à Dæmone liberatus precibus Victoris, vixit divinæ justitiæ, & Pontificiæ sanctitatis monumentum.

✲(1056.)✲ Theodora Augusta Orientis creat Imperatorem Michaëlem Stratonicum crudæ senectutis virum militarem, & paulo post moritur intestinorum dolore,

Evocat denuò Imperator Henricus II.

Pon-

Pontificem Victorem II. in Germaniam & incidens in morbum de consensu ejusdem Papæ ac Episcoporum filium suum Henricum III. Regem Germaniæ tunc quinquennen constituit, ac in manibus Victoris Papæ Spiritum Deo reddidit.

Circa hæc tempora inventum est B. Virginis officium, sicut & usus flagellorum quæ disciplinæ vocantur, quem plurimum promovit Petrus Damiani exemplo S. Dominici Loricati. Probabile tamen est Christianos jam pridem ante hæc tempora inisse verberibus sæviisse secundum illud Pauli ὑπωπιάζων

✠(1057.)✠ Michaël Stratonicus Imperator Orientis cedit Imperium Isacio Comneno, a quo armis ad id adigebatur, & ad privatas ædes recedit.

Victor II. Papa rediens ex Germania moritur Florentiæ, ibidemque sepelitur, in cujus locum Suffectus est Fridericus frater Godfridi ducis Tusciæ, Diaconus Cardinalis, dictus Stephanus X.

Petrus Damiani prope vi admotâ eremo extractus, & in Episcopum Ostiensem consecratus, Cardinalis S. R. E. creatur.

✠(1058.)✠ Stephanus Papa X. moritur.

tur, Mox factio comitum Tusculanorum & Lateranensium intrudit Joannem Mintium Episcopum Velitrensem ac Benedictum nominat, Cardinalibus bonis fugientibus aut latebras captantibus. Et Tusciæ Duce armis urgente.

Moritur Casimirus Rex Poloniæ, qui ex monasterio fuit revocatus in Regnum, successitque illi Boleslaus filius.

Michaël Cerularius odiosus factus Imperatori ob crebras petitiones & minas frequentes, ac ineptas, & quòd calceamenta croco tincta induere vellet Imperatorum more, ab Isacio missus est in exilium, eique substitutus Constantinus Licudex Protovestiarius: Vir addictior Imperatori quàm latinæ Ecclesiæ.

✲(1059.)✲ Isacius Comnenus ictus fulmine Imperium tradit Constantino Duci, & ipse Monachum induit.

Hildebrandi Cardinalis operâ, & consensu cleri Romani creatur legitimus Pontifex Gerhardus Florentinus Episcopus, dictus Nicolaus II. pulso schismatico Benedicto priùs in Concilio Sutrino deposito.

Iterum Berengarius canit Palinodiam in Concilio Romano Generali, moxque ad vomitum revertitur.

Nico-

Nicolaus Nortmannos vinculo anathematis exolvit, eisque feudatario jure concessit Apuliam & Calabriam (excepto Beneventò) imò & Siciliam, cùm eam occupâssent ante Ducatûs nomine, eâ conditione, ut Pontificem adversùs quoscunque defenderent, & aliquid simul tributi persolverent Eorum deinde operâ tyrannorum munita loca omnia disjecit, ut hic Nicolaus Pontificibus Romanis libertatem restituisse videretur.'

✲(1060.)✲ S. Eduardus Angliæ Rex mittit Legationem ad Nicolaum Papam cum collectâ pecuniâ, quæ nummus S. Petri dicebatur.

DECAS VII.

Ab anno 1060. ad annum 1070.

1061. FLorentiæ moritur Nicolaus II. de quo Petrus Damiani memorat, nullum diem illum prætermisisse elabi, quin pauperibus duodecim pedes abluerit. Eo demortuo Proceres, seu verius tyranni Romani Legatione missâ ad Henricum puerum effecerunt, ut ejus jussu convocata fuerit Synodus Satanæ Basileensis, in quâ acta Nicolai proscripta sunt. Mali

hujus

hujus magna pars fuit Guibertus Cancellarius Regis, ideò posteà in ordinem redactus. Cardinales quoque (& illi quidem boni erant) aliam misêre Legationem, quam obiit Stephanus Cardinalis ex monasterio Cluniacensi Monachus; sed hic re infectâ rediit. Quare pars sanior Cleri Romani elegit Anselmum Lucensem Episcopum Sede Petri dignissimum, qui dictus est Alexander II. Verùm contra hunc ab Agnete Imperatrice, & Henrico puero intrusus est Cadalous Episcopus Parmensis homo sceleratissimus. Quam abominationem videns Petrus Damiani Cardinalitiæ dignitati valedixit, & Episcopatu abdicato, ad eremum secessit.

✲(1062.)✲ Cadalous Antipapa pecuniâ & multis militibus instructus Romam venit, sed Romanis in subsidium veniente Godefrido Tusciæ Duce profligatus & malè mulctatus Parmam fugit, rebus omnibus spoliatus; ubi turbulentus homo omnia iterùm tentare ausus, ut conquisitis pecuniis aditum sibi in urbem patefaceret, donec habito in Germaniâ Osborii Concilio. adnitente potissimùm Petro Damiani damnatus est, neque tamen huic judicio acquievit sceleratus Pseudo-papa, quia aut Cadalous non esse, aut Papa esse decreverat.

Colo-

Colonienſis Archi-Epiſcopus Henricum Regem puerum decem annorum matri ſuæ Agneti eripit, & navi impoſitum Coloniam deducit, ibiſque obſequiis Principum delinitum inſtituit, idque factum consilio Procerum, ut ſic eriperent Agneti Imperii adminiſtrationem, quæ â nonnullis malè ſe regi ſinebat. Ipſa poſthæc pœnitens de favore Cadaloo præſtito Romam venit, & ſe totam pietatis operibus conſecravit, factâ priùs Confeſſione generali Petro Damiani de totâ vitâ ſuâ ab anno ætatis ſuæ tranſactæ.

✲(1063.)✲ Pars quarta Hieroſolymorum refecta eſt pecuniâ Chriſtianorum, quam Conſtantinus Monomachus Imperator contulit, ideóque conceſſum eſt Chriſtianis à Calyphâ Saraceno, ut eâ pace ab iiſdem incoleretur, & hujus partis incolæ à ſolo Patriarcha judicarentur, cui partis hujus dominium ceſſit. quo tamen non melior ſed tantum potentior effectus eſt.

Floruit hoc tempore Joannes Gualbertus qui quondam parcens inimico ſuo veniam petenti in nomine Crucifixi vidit Chriſtum in Cruce pendentem ſibi mox annuere, dum remitti ſua ſibi peccata poſtularet, quare monachus effectus mox deſerto Abbate Simoniaco Vallis Umbro-

ſæ

sæ Ordinis fundator extitit. Discipulus ejus fuit Petrus cognomento Igneus, quia ut probaret Florentinum Episcopum Simoniacum esse, per medium ingentem rogum illæsus transiit & ex eodem sudarium, quod reliquerat, iterum innoxius repetiit: Unde ei inditum nomen Ignei. Improbavit hoc factum Alexander II. & monachos se deinceps continere intra claustra sua atque à similibus examinibus abstinere jussit, Petrum tamen Igneum propter multas eximias dotes atque virtutes, cum insigni nobilitate, quam traxit ex stemmate Aldebrandinorum conjunctas primò Cardinalem, atque deinde Episcopum Albanensem præfecit.

Celebratur Concilium Lateranense sub Alexandro II. in quo præter alia laudabiliter statuta, illud quoque decretum est, ut Canonici in commune viverent, simul manducarent ac dormirent, quidquid eis ab Ecclesia competit, commune haberent.

✲1064.)✲ Cadalous Antipapa in Concilio Mantuæ habito denuo damnatur, & Alexandri Papæ electio legitima declaratur. Cadalous autem iterum Romam cum satellitibus veniens, repellitur, & tandem turpi exitu vitam finit.

Septem millium & amplius virorum Chri-

Christianorum ex Occidente magno numero peregrinatio Heroſolymam ſuſcipitur, & non ſine plurimis difficultatibus peragitur. Duces peregrinationis fuêre quatuor Antiſtites, ſed ſplendidiùs & majori quàm par erat cultu incedentes à latronibus Arabibus ſæpe vexati ſunt, quos armis quidem Chriſtiani, ſed magis divino præſidio repulêre,

✲(1065.)✲ Ferdinandus Magnus Rex Caſtellæ & Legionis ſanctiſſime moritur. Petrus Damiani calamum fortiter ſtringit adverſus Simoniacos.

✲(1066.)✲ S. Eduardus Rex Angliæ moritur, & hæredem regni nominat Guilielmum Nortmannorum Ducem, Haroldus autem comes ſtatim ſibi illud uſurpat. Alexander igitur Papa mittit vexillum Guilielmo ut Haroldo tyranno pulſo ipſe legitimè ſuccedat Eduardo. Guilielmus claſſe delata in Angliam & Confeſſione ac SS. Euchariſtiâ roboratis militibus in prælio Haroldum ſuperat regnumque teſtamento ſibi debitum virtute obtinet.

In Oriente defuncto Conſtantino patriarchæ ſuccedit Xiphilinus, plùs litteratus quàm bonus.

Hungari rebellant contra Andream Regem ſuum, eumque excæcant; cui plebs ſeditio-

ditiosa sufficit Belam, ab eoque idola reposcit. Rex autem triduum ad deliberandum poscens, interim factionis auctores captos in reliquorum conspectu crudeliter enecat, moxque cum Salome Andreæ filio partitur regnum, ac fortitudine & prudentiâ, periclitantibus, regno, & Ecclesiæ consulit.

✲(1067.)✲ Mortuus est hoc anno Constantinus Ducas Imperator, relictis cum Eudociâ conjuge tribus filiis Imperatoribus, Eudociam autem Imperii curatricem dixit.

Turcæ Cappadociam vastantes, Cæsaream diripiunt, & templa destruunt.

Floret circa hoc tempus Adamus Bremensis Canonicus, Historiæ Ecclesiasticæ Borealis celeberrimus & sinceriſſimus scriptor.

✲(1068.)✲ Eudocia filiis consentientibus Romanum Diogenem ducit in maritum, & Imperatorem declarat.

Astu fœmineo Xiphilino illusit Eudocia, cùm enim voto pollicita esset, se à morte mariti viduam mansuram, & voti hujus syngrapham secum haberet Patriarcha Xiphilinus, finxit Eudocia, velle se ducere Bardam, Xiphilini germanum, quare prævaricator religionis Xiphilinus ejus votum irri-

irritavit, & ut irritum judicaretur, apu Senatum effecit ; factâ itaque poteſtate ſecundarum nuptiarum , illa Diogenem elegit, Patriarchâ ex hoc facto nihil præter dedecus referente.

Guilielmus Comes Burgundiæ , & al nobiles Franci , ac Uladiſlaus Dux Bohemiæ vires & arma Alexandro II. offerun ad Romanæ Eccleſiæ defenſionem.

✲(1069.)✲ Henricus Rex conabatu uxorem Bertam repudiare , prætexens quòd eam quaſi faſcino implicatus cognoſcere non poſſet,& ejus libidini Archi-Epiſcopus Moguntinus adſtipulabatur; quò minùs id fieret, impedivit Legatus in Germaniam miſſus Petrus Damiani , anathemate interminatus : quare poſteà ardor ejus juvenilis deferbuit , & ex uxore filium cognominem patri ſuſcepit legitimi fructum matrimonii.

✲(1070.)✲ Archi-Epiſcopus Moguntinus & Bambergenſis de crimine ſimoniæ accuſati ab Alexandro II. Romam evocantur , & jurantes, ſe nunquam ulteriùs ſimile quid patraturos , ad Eccleſias ſuas remittuntur.

DE-

DECAS VIII.

Ab anno 1070. ad annum 1080.

1071. ROmanus Diogenes infeliciter cum Turcis confligit, & fuso exercitu capitur ab Azamo Sultano, à quo Diogenes interrogatus, quid ille Azamo facturus fuisset, si vivum cepisset? respondit, se in eum gravissimè animadversurum; at tibi, inquiebat Azamus, vicem non rependam, audio enim Christum vestrum docere, hominem injuriarum immemorem esse debere, & humilibus dare gratiam. Denique eum regio more excepit. Auditâ hac clade, electus est statim Imperator Michaël Ducæ filius, Eudociâ in monasterium detrusâ; missus obviam Diogeni reduci ab Azamo Andromus, eum toto itinere imposuit mulo per ludibrium, & adventem Michaël jussit excæcari, & vulneribus non curatis, ac capite vermibus scatente horribilis, populo objectus, omnia hæc mala tam patienter tulit, ut ei vitam immortalem & voluptates æternas peperisse, nemo hactenùs in dubium revocârit: Surrogatus est Michaël VII. cognomento Ducas Parapinaceus filius Constantini Du-

cæ, qui Imperium multis casibus exercit
tum lubens suscepit, & ut serpentem flor
bus occultatum amplexatus est.

Floret circa hæc tempora Theophil
ctus Archi-Episcopus Bulgarorum, clar
commentariis in Evangelia.

✲(1072.)✲ Henricus Rex Germani
ob Ottonem Bavariæ Ducem provinc
spoliatum, & ob nundinationem Episc
patuum & Abbatiarum à Germaniæ Princ
pibus apud Alexandrum Papam accusatu

In Anglia jussu Pontificis Concilium
Provinciale celebratur, & lite motâ de
primatu Ecclesiæ Cantuarienſis ac Ebor
censis primatus Cantuariensi adjudicatu

Moritur Petrus Damiani vitæ sanctitat
& scriptis clarus, Dictus est Damiani
fratre suo, cujus amore & curâ infantul
neglectus, ex mortis faucibus retractus
erat, cujus ideò nomen voluit suo semp
adjungi, ut ejus minùs, quàm sui nomin
oblivisceretur.

✲(1073.)✲ Alexander Papa Henri
cum Germaniæ Regem Romam evocat ad
rationem factorum reddendam de labe Si
moniacâ, & gestis in Ottonem Bojaria
Ducem. Henricus autem annorum vigin
ti duorum Rex adolescens obstinatior fa
ctus, in Synodo prohiberi jussit, ne ad Se
dem

dem sanctam appellaretur, atq; sic impiorum consiliis abstractus juvenis Rex telam orditus est, tam Imperio quàm Ecclesiæ pernitiosissimam.

Alexander II. moritur, Sedem relinquens successori Hildebrando Archi-Diacono sub nomine Gregorii VII. viro excellentis peritiæ atque virtutis, patriâ Soanensi in Tusciâ nato, & filio fabri, qui cùm adhuc pusio esset, in officinâ patris litteras nesciens casu formavit ex ligni segmentis hoc dictum Davidis: *Dominabitur à mari usque ad mare.* Præceptorem sortitus est virum sanctum Laurentium Archi-Episcopum Amalphitanum, à quo litteris & doctrinâ imbutus, atque ad Romanam Infulam elaboratus est.

Gregorius VII. Pontifex electus, mox Principes Germaniæ concitatos in Henricum (crimina sua jam ultrò confitentem, & emendationem Pontifici pollicentem) auctoritate suâ sedat. Econtrà Philippum Galliæ Regem propter labem Simoniacam, quæ Galliam pervaserat, acerbè reprehendit, ut suis invigilaret, ac sibi provideret, & obsequentem Regem experitur.

☆(1074.)☆ Gregorius Papa Legationem mittit ad Henricum pro Germaniæ rebus componendis, verùm sana consilia Pontificis eludit Henricus.

Romæ Concilium celebratur adversù incontinentes Clericos.

Gregorius Papa expeditionem parat adversùs Saracenos, sed pium hoc opus metus mali, quod ab Henrico Ecclesiæ immnebat, penitùs extinguit, cùm jam 50. milia parata starent ad Orientem invadendum. Causa turbarum adscribitur Archi Episcopo Bremensi, qui Henricum adversùs Pontificem concitavit: Luxuriosi quoque Sacerdotes multa in Gregorium & Mathildem fœda sparserunt, ut impuritatem suam fictis castissimorum turpitudinibus obtegerent.

✲(1075.)✲ Henricus sibi à Saxonibu metuens, fingit reconciliationem cùm Gregorio, ad quem litteras misit, quibu omnia pollicebatur. cùm verò victoriam retulisset, jam ab hac parte securus, non minùs ab Ecclesiâ matre, quàm à Pontifice Patre alienatur.

Cintius seu Cinthius, vel Quintius Urbi Præfectus Romæ, vir sceleratus, frustrà sæpè monitus à Gregorio Pontifice, ac tandè anathemate perculsus, mediâ nocte cũ suis satellitibus in eum irruens, sacris indutum vestibus retraxit ex altari, ac multis affectum contumeliis abduxit in munitam domum. Quæ cùm audîsset populus Roma-

nus,

nus, Pontificem liberavit, & domum Cinthii diripuit, eumque Urbe expulit, qui anno sequenti in Longobardiâ infelix exspiravit, Ferunt his turbis valdè implicatos fuisse Guilbertum schismaticum, postea Episcopum, & Hugonem Candidum Cardinalem homines sceleratissimos, & dignissimos hac perduellione ac parricidio.

✲(1076.)✲ Henricus Germaniæ Rex apertè in Gregorium rebellat, hunc enim in pseudo-Synodo Wormatiensi deponendum curat: at Pontifex vicissim in Concilio Romano Henricum excommunicat. Eodem anno idem Gregorius VII. Demetrium *Suinmur* dictum, Regem Dalmatiæ & Croatiæ creat, misso ad eum vexillo, ense, sceptro & coronâ.

✲(1077.)✲ Henricus paratis duobus ingentibus exercitibus ad prælium persvasus à Proceribus, ut Gregorio se submitteret, venit in Italiam quasi pœnitens, atque ægerrimè multoque labore superatis Alpibus attingit Ganusium, ubi Papâ diu cunctante, post edita signa pœnitentiæ Pontifex inter Missarum solennia parte sacræ hostiæ acceptâ, rogans Deum, ut, si reus esset subitâ morte periret; partem aliam Henrico obtulit, sed hanc ille recipere non est ausus, à Gregorio tamen absolu-

tionem accepit. Comitissa Mathildis quoque tunc obtulit S. Petro & Romanæ Sedi Liguriam & Tusciam, verita, ne hæc sibi ab Henrico armato eriperentur,

Henricus in pristinam contumaciam relabitur, & Pontifici insidias struit. Ejus proinde perfidiam exosi Principes Germaniæ, inscio & inconsulto Pontifice, Henrico exauctorato, Rudolphum Sueviæ Ducem Regem creant.

✲(1078.)✲ In Oriente Nicephorus cognomento Botoniates Michaële Duca cum Mariâ conjuge in monasterium detruso, coronatur à Cosmâ Patriarchâ, qui Xiphilino mortuo successerat, Tyrannum autem excommunicavit Gregorius VII. quia Michaël Latinis communicaverat, multaque dona Casino monasterio contulerat, veræ pietatis & fidei monumenta.

Perseverârunt hoc anno turbæ inter Henricum Regem & Gregorium Pontificem. Anathematis fulmine afflantur schismatici, ac præcipui seditionis auctores, Guibertus Ravennas, & Hugo Candidus Cardinalis, aliique, quos ab Henrico collatæ dignitates & scelera colligabant.

✲(1079.)✲ Berengarius iterùm ejurat hæresin, quam sæpè jam evomuit, iterúmque resorbuit.

Defe-

Deferuntur ad Romanam Synodum novæ querelæ à Legatis Rudolphi Regis ob profanata sacra, Sacerdotes & Episcopos in vincula conjectos aut trucidatos. Et Henricus quidem visus est mitior, & promisit se acquieturum Concilii placitis, sed cùm bella huic cum Rudolpho prosperè cessissent, divinis beneficiis efferatus, semper se sui similem, id est, sceleratum & perjurum præstitit.

S. Stanislaus Episcopus Cracovienſis inter Missæ Sacrificium Martyrio afficitur jussu Boleslai Regis Poloniæ, ideò Gregorius in fratricidam fulmen excommunicationis vibrat, eum regno privat, subditos ejus Sacramento fidelitatis eximendo. Probavit Gregorii sententiam Deus; nam Boleslaus profugus & versus in insaniam intra biennium, dum ut fera vagatur, voratus à canibus, terribile Principibus Sanctorum persecutoribus exemplum.

✲(1080.)✲ Confirmatur à Gregorio Rudolphus Rex Germaniæ. Henricus vicissim Brixiam pseudo-Synodum indicit, quò aliquot Germaniæ Episcopi convenientes Gregorium tanquam Ecclesiæ & Imperii subversorem, imò etiam tanquam magum deponunt, eique substituunt Wigbertum, seu Guibertum Archi-Episcopum

Ravennatem sceleratissimum, & dicunt Clementem III. Scripsit autem pro Gregorio apologiam Anselmus Lucensis Episcopus, cui tantò plùs fidei adhibitum est, quantò ejus sanctimonia jam toti orbi testatior erat. Gregorius interim Coronam auream misit Rudolpho his verbis inscriptam: *Petra dedit Petro, Petrus Diadema Rudolpho.* Sed non diù uti licuit, prælio enim atrocissimo Henricum inter & Rudolphum commisso, hic manum, & paulò pòst vitam amittit, schismaticis supra modum insultantibus.

Inventum est hoc anno Salerni diù occultatum corpus S. Matthæi, cui magnificam Basilicam curavit Robertus Guiscardus Nortmannorum Dux, factus ex improbo & excommunicato pientissimus.

DECAS IX.

Ab anno Christi 1080. ad 1090.

1081. RObertus Guiscardus in Orientem ✠ 15. millia Nortmannorum traduxit, quibus occurrens cum centum septuaginta millibus Alexius Comnenus turpiter superatus est.

Henricus ex Rege jam tyrannus cum Guil-

Guilberto Anti-Papâ, & cum modicâ manu, sed audaciæ & furoris plenâ, Romam venit, obsidetque Leoninam urbem, sacrilegâ Ecclesiarum expilatione, Clericorum vexatione, & bonorum direptione insaniens furia. Gregorius autem ad fortiter tolerandum mala bonos omnes invitavit, & meliora tempora pollicitus, vates non falsus inventus est.

Canutus Rex Daniæ Martyrio afficitur.

Gregorius gratulatur Visigothis ad Fidem Catholicam iterùm conversis.

✲(1082.)✲ Henrico absente Saxones in locum Rudolphi eligunt Regem, Hermannum Lotharingiæ Ducem, virum fortem & militarem, sed huic defuit felicitas, dum enim irrumpit in castrum expugnatum, molari lapide per fœminam injecto, obteritur, Pyrrhum, sicut in fortitudine, sic in morte imitatus.

Henricus autem veritus, ne ob tumultus ortos in Saxoniam revocaretur, intercipere conatus est insidiis Pontificem, sed eum hostis sui calliditas & furor fecerunt prudentiorem.

✲(1083.)✲ Captâ urbe Leoninâ, Henricus in Sedem Petri intrudit Guilbertum Anti-Papam, qui à tribus schismaticis Episcopis mox consecratus, ac paulò pòst ab

Henrico Ravennam remissus est. Posthæc omnibus modis Urbem in suam potestatem redigere conatus est promissionibus, fraude & arte, sed his omnibus Ecclesia Dei fulta præsidio prævaluit.

✲(1084.)✲ Henricus ipsam Romam occupat, & Gregorius retinens omnes pontes & munitiora loca, in molem Hadriani se recipit, Guilbertus verò ibidem Henricum in Imperatorem coronat. Advenit interèa Guiscardus Nortmanniæ Dux cum exercitu, & Henricum atque Guilbertum unà cum Cardinalibus suis administris plerisque conjugatis vincit, Urbem rebellem diripit, & magnâ ex parte incendit, sive ex odio Romanorum, seu ex Pontificis amore, ita svadente Cinthio Consule, ut Romanis in restinguendo incendio occupatis faciliùs Pontifex subduceretur, qui incolumis Cassinum, atque inde Salernum pervenit.

Interea Henricum in Germaniam redeuntem Catholici cum Mathildis Comitissæ copiis conjuncti bello aggrediuntur, & nobilissimam victoriam reportant, paucis suorum desideratis, & fusis cæsisque Henricianis.

✲(1085.)✲ Moguntiæ ab Henricianis pseudo-Synodus celebratur, in quâ iterùm

rùm Pseudo-Pontifex Guilbertus confirmatur, & Gregorius deponitur. Neque tamen inultus, Deo causam legitimi Pontificis agente, & lue magnâ immißâ adversarios plectente, quâ magnâ ex parte Henriciani consumpti sunt.

Brevì post hæc in exilio obiit Pontifex Salerni multis miraculis post obitum clarus, cujus corpus etiam post annos quingentos penitùs incorruptum repertum est.

Obiit eodem anno Guiscardus naturali morte in Insulâ Corcyrâ, cùm jam annos viginti Dux fuisset Apuliæ, Calabriæ & Siciliæ, vir optimus, cùm bonus fuit, cùm verò malus, pessimis adnumerandus.

✲(1086.)✲ Cardinales Romam convenientes in locum defuncti Gregorii Desiderium Abbatem Cassinensem, invitum licèt & reluctantem, Pontificem creant, & Victorem III. nominant, sed is post quatuor dies ex Urbe egressus, Terracinæ insignia Pontificatûs deponit, & ad suum Monasterium Cassinense se recipit.

Catholici in Germaniâ Suevorum & Saxonum Principes Herbipolim obsidentes advenientem ad eos repellendos cum plùs quàm viginti militum millibus Henricum, ipsi vix decem millium numero sanctissimæ Crucis vexillo prævio, atque confisi

de misericordiâ Domini, quam multis gemitibus prostrati in terram implorârunt, postridie festi S. Laurentii immensâ clade fuderunt, occisis multis hostium millibus, captisque ingentibus spoliis, & ipso primo congressu Henrico dissimulato habitu inter primos fugiente. Ex parte verò Catholicorum tribus tantùm militibus in certamine, & aliis duodecim posteà ex vulneribus occumbentibus.

Carthusianorum Ordo hoc eodem anno instituitur, conditore S. Brunone Agrippinensi, Canonico Rhemensi, qui cum sex aliis sociis vocatus à Deo venit ad S. Hugonem Gratianopolitanum, à quo montes asperrimos, quos incolerent, Carthusianos dictos, accepêre.

✲(1087.)✲ Hoc anno Victor III. Cleri populique precibus exoratus, Pontificia ornamenta resumit, & Ostiæ consecratur, posteà verò Romam venit. Guilbertus autem Anti-Papa ad S. Mariam ad Martyres se recipit, atque inde multa hostilia in Urbem & Italiam exercet. Victor autem sapientior & justior expeditionem in Saracenos Africanos convertit, & eosdem maximâ clade afficit, dum verò Beneventum Synodum cogit in morbum incidit, indeque se Cassinum reportari jubet, ubi sexa-

gena-

genarius piissimè moritur, admonitis priùs Cardinalibus ut se mortuo nullum præter Ottonem Ostiensem Episcopum eligerent. Et hanc monitionem Ecclesiæ non inutilem fuisse ostendit eventus.

✲(1088.)✲ Otto Episcopus Ostiensis Tarracinæ Pontifex creatur, assumpto Urbani nomine, Guilbertus autem in sua contumacia perseveravit.

Mortuus est hoc anno Hermannus Rex Germaniæ Catholicus, in Turingia quò secesserat, Saxonibus rebellantibus; Cui datus mox successor ab iisdem Saxonibus Eggelbertus, ne Pax Henrico concessa bellum in Ecclesia reaccenderet.

Obiit eodem anno carioſus ille hæreticus Berengarius prope nonagenarius. Cui honorificum Epitaphium scripsit ejus amicus Hildebertus Archidiaconus paulo solutioris vitæ, factus tamen postea magnæ sanctitatis & eruditionis Episcopus. Itaque quæ in laudem haud promeritam scripsit de Berengario, ea nondum in Episcopum Sanctum commutatus scripsisse censendus est.

✲(1089.)✲ Guilbertus Anti-Papa hoc anno à Romanis urbe expellitur & Urbanus Papa III. Synodum Generalem Romæ celebrat in præsentiâ Episcoporum 225.

Henri-

Henricus invitatus à Principibus Catholicis ad pacem sub specie coronationis ab Urbano obtinendæ, non abnuit, sed ab Episcopis Schismaticis, qui suam depositionem magis, quam illius, reformidabant, à proposito retrahitur.

Mathildis Comitissa pio conjugio copulata est cum Welphone Duce filio Welphonis Ducis Bojariæ, nepote Azonis Marchionis Ferrarienſis, ut plùs posset in Schismaticos, neque tamen cum illo unquam commixta est, simulque fuit nupta, vidua & casta, atque sic non tantùm res suas, sed & se totam consecravit Ecclesiæ.

Eustachius Patriarcha Constantinopol. Cosmæ successor mortuus locum reliquit Nicolao cognomine Grammatico, cujus sedes diuturnior quàm melior extitit.

✲(1090.)✲ Henricus in omnia vitia ruit, & interea Episcopatus & reliqua beneficia Ecclesiastica palàm vendit pro pecunia, pro gladio, pro adulterio, & pro sodomia, ut in suis criminibus non sceleratus tantùm sed furiosus esse videretur, unde etiam in Italiam transire destinavit, ut Mathildem opprimeret.

DE-

DECAS X.

Ab anno Christi 1090. ad 1100.

1091. REdit Romam Guilbertus & recipitur à Romanis Henricum formidantibus, in eam autem cum ingredi posset Urbanus Papa tunc in Campania moratus cum suis maluit videri minùs posse ne urbs desolaretur.

Interea Henricus Mantuam jam undecim mensibus obsessam proditione cepit, & civitates omnes vicinas occupavit, paucis exceptis, quas firmiores muri ab ejus impetu vindicârunt. Catholici interim precibus & piis operibus se defenderunt & in Germania præsertim egregiæ sanctitatis specimen dederunt, dum non solùm Clerici & Monachi religiosissimè vitam communem observârunt, sed etiam innumerabilis multitudo sæcularium virorum & fœminarum, conjugatorum & cælibum, in urbibus & in villis eandem vitam cõmunem sub obedientiâ Clericorum & Monachorum in primitivæ Ecclesiæ formam devotissimè amplexati & non nisi habitu monachis dispares facti sunt: quorum vivendi rationem Urbanus Papa laudavit & contra

contra obtrectatores Apostolico diplom te confirmavit. Et sic inquit Bertholdu Deus Ecclesiam suam periculosissimo tem pore consolatus est.

Ad hunc annum referuntur Regni Lus tanici initia.

✲(1092.)✲ S. Bruno ex suâ solitudi ab Urbano II. evocatur, & detinetur tri ennio, atque in conciliis celebrandis alii que negotiis Ecclesiæ promovendis à Pon tifice occupatur.

✲(1093.)✲ Lombardi in Henricum re bellant (quibus Mediolanum præluxit) atque in Welphonis partes transeunt: Imò & Conradus filius Henrici assurgit in pa rentem, ob causam propè justam. Henricus enim Adelaidem (alii Praxedem appel lant) uxorem suam, fœminam pientissi mam & innocentissimam compegit in car cerem, & multos compulit ei vim infer re: atque inter cæteros filio suo Conrado novercam suam constuprandam objecit, cúmque restitisset ille, negavit filium suum esse, sed Principis cujusdam Sveviæ, quem vultu suo non malè referebat, Conradus ergó fugit à Patre; sed paulò pòst ab eo dem dolo interceptus, malè habitus esset, nisi divino auxilio ex ejus manibus evolâs set. Ideò Welphone curante Mediolani

ab

ab Anselmo Episcopo Rex inungitur Italiæ, & ab Urbano Pontifice excommunicationis vinculo exsolvitur. Henricus autem à Welphone & filio pressus se quâdam munitione incluſit, ubi satis diù quasi privatus vixit, tanto vitæ affectus tædio, ut se interficere conatus sit, & feciſſet niſi huic sui arma eripuiſſent, & quasi fanaticum servâſſent. Adelais autem de carcere tandem mirabiliter effugit & venit ad Mathildem, per quam deducta est ad Urbanum ac demùm in Russiam reversa ad suos, facta est Abbatiſſa sortita sponsum toto cœlo ab Henrico diversum.

Redit Romam Urbanus (arce tamen S. Angeli à Schiſmaticis occupatâ) & Guilbertus Veronam fugit, simulans se Papatu abdicaturum, si pax Eccleſiæ aliter restitui nequiret.

✲(1094.)✲ Magna lues per Italiam, Galliam Germaniam grassata multos Schismaticos ad sanam mentem reduxit, pertinaces prodigiis territi, quidam sibi manus intulerunt. Quidam à feris vorati sunt.

Contigit hoc anno portentum in fœminâ Laudensi quæ confeſſa, crimen occultum, cum id sacrilegè propalatum esſet, ipsa ad incendium damnata bis ex accensis flam-

flammis incolumis evasit operâ B. Mariæ Virginis, cujus auxilium imploravit. Ut ostenderet Deus peccata duntaxat Sacerdotibus ad veniam, nunquam ad mulctam judicibus aperiri.

Philippus Rex Francorum Bertradam uxorem Fulionis Comitis Andegavensis cognomento Asperi, viri improbissimi rapuerat, eâque utebatur rejectâ uxore legitimâ Bertha, quam Monstrolium ablegârat, Fulcone mortuo eandem Bertradam assentientibus quibusdam Galliæ Episcopis prævaricatoribus uxorem duxit, nequidquam Ivone Carnotensi, nequidquam Concilii & Pontificis anathemate deterrente.

✲(1095.)✲ Urbanus II. Placentiâ Cremonam pervenit, ubi stratoris officium Carolus Henrici filius peregit, & Pisas profectus filiam Rogerii Ducis Siciliæ adhuc parvulam accepit sponsam cum ingenti dote pecuniariâ. Pontifex autem trajecit in Galliam ibiq; Claremontanam Synodum indixit ad quam convenerunt 13. Archi-Episcopi & 205. Episcopi, & in eâ Philippus Augustus Francorum Rex propter Bertradam pellicem uxori legitimæ superductam excommunicatur, quod anathema tam accuratè servatum, ut hoc tempore

pore in pleriſque diplomatis non *regnante Philippo*, ſed *regnante JESU* ſcriberetur. Actum quoque eſt de expeditione Hieroſolymitanâ, negotium hoc plurimùm promovente Petro Eremitâ Ambianenſi, per quem tum Patriarcha Conſtantinopol. tum Alexius Comnenus Imperator, quem Saraceni graviter urgebant litteras ad Pontificem & Occidentales miſerunt pro reChriſtianâ contraSaracenos fortiter curandâ plurima ad hoc Græcâ fide polliciti.

Decretum eſt ergò ſacrum bellum in Concilio, & Crux ſuper militantium dextro brachio effigta adhibita pro teſſerâ, oblatis pro ſtipendio indulgentiis, & ut cuncta bona eorum qui ſequerentur, ſemper & ubique eſſent in pace & (ut vocabant) *tregua* nempe ab omnimodis incommodis libera Synodalibus decretis emanantibus, ſub præſidio & auxilio Dei Genitricis. Ad quod impetrandum Urbanus Papa officium Dei Genitricis non ita pridem à Petro Damiani inventum, approbavit & Clericis in honorem Dei & Deiparæ perſolvendum indixit: his inquam ritè præmiſſis tanta alacritate ſuſceptum eſt bellum quaſi non de repetendâ Palæſtinâ, ſed de adeundo regno cœleſti ageretur.

✠(1096.)✠ Philippus Rex Francorum re-

rejectâ pellice, & pœnitentiâ actâ absolvitur ab Urbano Papâ, qui mox Romam, ubi Guilberti fautores adhuc turrim Crescentii possidebant, regressus, sacram expeditionem summâ curâ promovet, & denique totius expeditionis Dux Godefridus Bullionius constituitur, qui in eum finem Ducatum suum Bullionensem vendidit Episcopo Leodiensi, majori tamen vendentis quàm ementis gloriâ, hunc plurimi præstantissimi Duces ac Comites & flos nobilitatis secuti. Suntque hominum Cruce signatorum qui ex toto Occidente Christiano confluxerunt trecenta millia numerata & divisis copiis per diversas vias atque diversos Duces deducta, variis quoque Episcopis, qui & ipsi Crucis signo ornati erant, Cohortes Cruciatas comitatu suo usque ad terram sanctam nobilitantibus.

Qui divino instinctu sacræ militiæ nomen dedêre contra hostes Christiani nominis, in quos primò inciderunt Judæos nisi Christianam fidem profiteri vellent, illos trucidabant, fugabant, imò etiam ad conscifcendam sibi mortem ex desperatione impellebant, zelo Christiani nominis hæc svadente, ut ingentem ubique stragem tota gens Judæorum pateretur.

1097.

✲(1097.)✲ Christianæ expeditionis milites post multa cum Turcis prælia Nicæam Bythiniæ occupant.

Margarita Regina Scotiæ postquam sylvescentem regni illius Ecclesiam flori suo restituit, sanctissimè moritur.

✲(1098.)✲ Expeditio Christianorum Antiochiam & alia loca munita feliciter occupat, obsessique iterùm Christiani Antiochiæ, & fame gravissimè pressi, inventâ inibi sacrâ lanceâ, quâ latus Christi perforatum est, fortissimè animati, ingentem de hostibus victoriam reportant, plures haud dubiè victorias messuri, & loca occupaturi, si perfidiâ & dolis Alexii Comneni, Græcorum Imperatoris Latinis infesti, à progressu impediti non fuissent.

Hoc anno Apostolicæ Sedis auctoritate jacta sunt in Galliâ prima fundamenta Ordinis Cistercienſis, ex quo tanquam è fonte rivi universum Occidentalem Orbem cœlestibus donis irrigârunt, quando erigendi Monasterii Cistercienſis in Diœcesi Cabilonensi S. Robertus Abbas Molismensis auctor extitit.

✲(1099.)✲ Urbanus Papa celebrat Romæ Synodum Generalem centum ac quinquaginta Episcoporum, in quo præter alia denuò Guilbertus cum fautoribus

suis

ſuis anathemate percutitur, & Chriſtia
ad continuandam & promovendam ſacra
expeditionem animantur.

Ad Urbani triumphum pertinet, qu
eodem tempore, nempe 14. Julii hujus a
ni Chriſtiani, Duce Godefrido Bullioni
Hieroſolymam ceperint, & eundem Bu
lionium primum Hieroſolymorum R
gem creaverint, qui tamen noluit auro c
ronari, ubi Chriſtus ſpinis coronatus f
erat. Saraceni tunc omnes jugulati, & Ur
à Chriſtianis incoli cœpta, ſelecti quoq
duo Patriarchæ Daxbertus Hieroſolym
tanus, & Bernardus Antiochenus, amb
virtute & doctrinâ clari.

Hoc glorioſo triumpho inſignis eode
adhuc anno ad coronam cœleſtem evoc
tus eſt Urbanus II. Papa, belli ſacri promo
tor, eiqúe ſuffectus eſt Reinerius Card
nalis, dictus Paſchalis II.

✲(1100.)✲ Hoc anno Guilbertus i
Eccleſiâ ab Orthodoxis penitus debell
tus, & de loco in locum tanquam ferus a
per in venatione agitatus atque ad extre
mas anguſtias redactus, in fugâ miſerè pe
riit, mœrore conſumptus, & ùt loquitu
Hiſtoricus, deſperationis dentibus devo
ratus, poſtquam per 23. annos Eccleſiam
turbavit, & meruit nefandus, ut ſepulchro

quo-

quoque careret, ossibus ejus in aquas projectis.

Quanto solatio boni quilibet in Ecclesia mortem Guilberti Anti-Papæ excepe-runt, tanto mœrore luxerunt mortem Bullionii primi Regis Hierosolymorum viri fortissimi ac tanti roboris, ut Camelis uno gladii ictu colla demeteret, & armatum loricâ Saracenum in transversum medium secaret. Insuper de tota Christianitate optima meriti, & Pietate Clarissimi.

Mortuo Guilberto tres ab Henrico suffecti sunt, Albertus, Theodoricus & Maginulphus, omnes ejusdem cum Guilberto & Henrico Sulphuris digni qui schismaticis à schismatico Principe præficerentur.

Paschalis II. domat tyrannos, in Italia & recipit urbes & arces, & Philippum Franciæ Regem denuo Bertradæ suæ turpibus complexibus implicitum iterum excommunicat. Orienti & Germaniæ providet non tantùm primæ Sedis prærogativâ, sed & ingenio & providentiâ maximus.

Mortuo Wilhelmo Angliæ Rege S. Anselmus Episcopus Cantuariensis ab Henrico Germano Wilhelmi ac successore revocatur ad Ecclesiam suam unde exulârat.

Godefrido Bullionio Regi Hieroſol
mitano mox ſuffectus eſt Balduinus fra
Comes vel Princeps Edeſſenus, qui ſtat
cum mille & quadringentis equitibus
nit Hieroſolymam, disjectis ubique Sa
cenis tranſitum occupantibus. Vir q
dem fortis, ſed dum litigat de juribus
cum Patriarcha, nec regno neque Ecc
ſiæ, nec ſibi ſatis conſulens.

HÆRESIS WECELINORUM.

*HAuſit hæc ſecta nomen & errorem ſuum Wecilone Moguntino Archi-Epiſcopo intr
ſo, qui mordicus aſſerebat, ſæculares h
ſpoliatos non ampliùs Eccleſiaſtico judicio ſub
ctos eſſe, nec poſſe ob inſolentias ſuas anathem
puniri, ſic autem anathematizatos poſſe abſq
ulla reconciliatione recipi. Error eſt confor
Calvinianæ hæreſi, quæ docet hominem Chriſt
num legibus Eccleſiaſticis juſtis & rectis in co
ſcientia non obſtringi.*

HÆRESIS ROSCELINI NOVI SA-BELLIANI.

*EJus error à S. Anſelmo propulſatus &
concilio Rhemenſi reprobatus in eo verſab
tur, quod eſſentiæ unitatem in tribus Divin
Perſonis credere non poſſet, niſi Patrem & Sp
ritum S. incarnatos diceret. Neque incarn
tion*

tionem filio tribuere nisi tres Personas tres esse res diceret, æquè à se invicem sejunctas ac tres Angelos & tres animas, tametsi unius sint tantum potestatis ac voluntatis.

HÆRESIS NOVORUM NICOLAITARUM.

FUerunt hac tempestate Mediolani quidam Ecclesiastici libertatis avidi, qui proculcata Sacrosancti Cælibatûs professione Ecclesiasticâ indicti lege, fœminarum commixtionem indulgentes id sibi licitum esse affirmabant.

veri veterum imitatores Nicolaitarum.

SÆCULUM DUODECIMUM

Continens res in Eccles memorabiles, quæ contigeru ab anno 1100. ad annum Christi 1200.

DECAS I.

Ab anno Christi 1100. ad 1110.

1101. EXpeditio in terram sanctam alt râ nunc vice suscipitur, Ducib Hugone, Philippi Regis Franc ci germano, Guilielmo Aquitaniæ Comit & aliis Proceribus, & cum tantis copiis, ad trecenta Christianorum millia conflu rent. Sed hæc tanta multitudo plurimù damni passa est à Saracenis perfidiâ Alex Comneni Imper: Orientis, magìs Macho metanis, quàm Latinis faventis, ita ut quinquaginta millia in viâ cum plurimis impedimentis perdita fuerint, etiam Hu gone Tarsi ex morbo defuncto. Eluct ti tamen sunt Christiani per varias vias i

Sy

Syriam,& eorum adventu Balduinus egregiè usus adversùs Saracenos, qui ad eum opprimendum trigesies centies armatorum millia eduxerant, spe maximâ certæ victoriæ obtinendæ à suis sacrificulis animati. Sed aspectu signi Crucis, quæ Regi præferebatur, qui initio victores erant, ingenti cæde deleti sunt, & Joppe ab iisdem Arabibus obsessa, pariter eliberata: appulsâ deinde Genuensi classe Antipatra & Cæsarea maritima, aliæque munitiones expugnatæ& captæ magnos animos victoribus addiderunt.

Obiit hoc anno S. Bruno laudatissimi Ordinis Carthusiani conditor.

✲(1102.)✲ Henricus III. Imperator, hactenùs schismaticus & impius, fit hoc anno hæreticus, cùm denuò excommunicatus quia promissis non steterat, docoret palàm excommunicationes nihili faciendas esse.

Paschalis Papa II. consultus ab Anselmo Episcopo Cantuariensi de investituris laicorum, eas penitùs improbat. Anselmus autem propterea à Rege Angliæ, qui eas affectabat, Lugduni in exilio subsistere jussus est.

✲(1103.)✲ Centum quinquaginta millia Christianorum inordinato patriæ desiderio terram sanctam deserunt, & cum tre-

centis navibus in Occidentem venientes tempestate correpti majore ex parte perierunt, reliqui à Saracenis intercepti in dirissimam servitutem abducuntur.

✲(1104.)✲ Balduinus II. Hierosolymorum Rex auxilio Danorum, Anglorum, Flandrorum & Regis Norwegiæ prævio signo S. Crucis ingentem obtinet victoriam de Saracenis, triumphi tamen lætitia nonnihil diminuta est, ob mortem Raymundi Comitis Tolosani, qui & gloria militari & laude pietatis magnus erat.

✲(1105.)✲ Henricus IV. filius Henrici III. Rex Germaniæ à Proceribus creatus, submittit se summo Pontifici, & Episcopos restituit, atque contra patrem insurgit, Sedi Romanæ rebellem, eumque habito Moguntiæ Concilio adigit, ut Ingelhemii, quò ambo Henrici convenerant deponeret insignia Imperii, eaque traderet filio, & submissus in omnibus Pontifici, ipse se quasi Privatus secederet. Schismatis fautores ejus ajunt, compactum fuisse in carcerem quod & ipse rebus suis restitutus asseruit, sed eâ fide, quâ schismatici & scelerati valent.

Jussu Paschalis II. ossa Guilberti pseudo Pontificis, Ravennæ sepulti, exhumantur & in profluentem conjiciuntur.

1106

✲(1106.)✲ Henricus III. privatus Imperio fugit Coloniam, & inde Leodium, & novas copias per Germaniam colligit, ac bellum non solùm filio, sed etiam Ecclesiæ indicit, & mox corruptis nonnullis Romanorum, dum Paschalis Beneventi ageret, pseudo-Abbatem de Farrâ intrudit in Sedem Petri sub nomine Sylvestri, qui tamen mox à Catholicis rejectus est. Providit autem Deus Ecclesiæ, & Henricum turbulentum apostatam, & sæpiùs perjurum, eodem adhuc anno repentinâ morte ex hac vitâ ad promeritas pœnas evocavit, & quia ut schismaticus & hæreticus obiit, etiam cadaver ejus ex loco sacro propè Spiram exhumatum, & in locum profanum translatum est, Orbe universo propè de illius interitu gaudente.

Mortuus est eodem anno Philippus Francorum Rex mœrore consumptus Meloduni, cui suffectus est Ludovicus Crassus, vir pius & fortis.

✲(1107.)✲ Paschalis misso Hierosolymam Gibelino Archi-Episcopo Arelatensi Ebremarum intrusum à Balduino, deponit, mortuo jam Daiberto legitimo Patriarchâ.

Henricus Rex Angliæ reconciliatur S. Anselmo, sed mox reversus ad pristinam obstinatiam, varios viros sanctos affligit & vexat.

✲(1108.)✲ In Oriente novas lites exortas de limitibus Patriarchatuum Hierosolymitani & Antiocheni, idem Paschalis disponit, & res Italiæ ordinat, ac tyrannos bona Ecclesiæ usurpantes prudenter & fortiter comprimit, quos inter fuerunt Ptolomæus Tusculanus, Petrus Columna Abbas Farfensis. His autem ex Pontificis parte fortiter oppositi erant Petrus Leo & Leo Frangipanis.

✲(1109.)✲ Anselmus Archi-Episcopus Cantuariensis, & S. Hugo Cluniacensis ad æterna præmia evocantur.

Hoc anno Burdinus Braccarensis fraudes & hypocrisin suam detegit, cùm enim persecutione à Rege concitatâ Bernardus Archi-Episcopus Toletanus, à quo ille factus erat Archi-Diaconus, in exilium abire compulsus esset, Burdinus multâ pecuniâ Episcopatum Bernardi benefactoris sui mercari voluit, verùm à Pontifice ut simoniacus rejectus, adhæsit Henrico Germaniæ Regi, & ejus amicitiam eò usque fraudibus & adulationibus captavit, ut in Sedem Apostolicam pseudo-Pontifex irreperet.

✲(1110.)✲ Balduinus dotat Episcopatum Bethleemensem auctoritate Paschalis erectum.

Idem

Idem Paschalis renuit Henrico IV. dare Coronam Imperii, ob usurpatas ab eo investituras, Henricus autem cum ingentibus copiis veniens in Italiam, vi tandem extorquet, quamvis non absque conditionibus neque Ecclesiæ, neque Imperio noxiis, si eas Henricus servâsset, hæreditario vitio perfidiosus.

DECAS II.

Ab anno 1110. ad annum 1120.

1111. ✲ Capitur à Balduino Berytus & Sidon auxilio Danorum.

Henricus IV. Romam ingressus, pactis cum Pontifice initis stare recusat, & Pontificem, multosque Cardinales vinctos detinet, & captivos secum ad Sabinos deducit. Sed cùm nec sic Paschalis Papa flecti posset ab Henrico, ut postulatis ejus iniquis annueret, tandem Cardinalium precibus victus ad schisma vitandum (viris etiam sanctis in factiones contrarias divisis) remittit Henrico investituras, & cum suis relaxatus eundem in æde S. Petri, sed januis clausis coronat.

✲(1112.)✲ Alexius Comnenus missis Legatis petit à Pontifice Romæ coronari,

ad quem honorificè Romam deducendu
ſexcenti Romani Conſtantinopolim pe
rexêre: ſed id negotium evanuit, quia
de Græcâ ſubnixum erat.

Romæ in Concilio Lateranenſi Gener
le Concilium celebratur, in quo à Paſch
li Henrico de inveſtituris datum, tanqua
vi extortum reſcinditur auctoritate Pont
ficis & totius Concilii; Henricus autem
fautores ejus combuſto decreto excom
municantur. Ad hoc tamen anathema
brandum valdè difficulter permotus eſt Pa
ſchalis, ideò à viris etiam ſanctis tanquam
mollior Pontifex habitus eſt, quanquam pa
cificè & valde contenti cum eo vixerint;
magno Eccleſiæ bono eidem conjunctiſ
ſimi.

✲(1113.)✲ Turcæ ab Hieroſolymâ ob
ſeſſâ repelluntur, & furorem ſuum con
vertunt in montem Itaburicum, ſive Tha
borem, & monachos Cluniacenſes, ibidem
monaſterium incolentes, omnes Martyrio
afficiunt; exinde tamen res Chriſtianorum
in deterius ire cœperunt, Deo non adſi
ſtente Balduino ob incæſtas nuptias, quas,
ſvadente impio Arnulpho contraxit cum
Siciliæ Comitiſſâ, relictâ priore adhuc ſu
perſtite.

S. Bernardus nobilis Burgundus annos

cir-

circiter natus 22. cum sociis plusquàm triginta Cistercium venit, ut sub Stephano Abbate viveret, ubi virtutum prima fundamenta jecit.

✲(1114.)✲ Hoc anno mortuus est Ivo Carnotensis Episcopus, qui eruditione suâ factis & scriptis Ecclesiam universam illustravit.

✲(1115.)✲ Arnulphus Hierosolymitanus Patriarcha per Legatum Pontificium Sede suâ deponitur, sed quia munera placant hominesq; Deosq;, Romam ille navigans, tam blandè affatus est Pontificem, & tam multa munera in ejus comites ac famulos effudit, ut impius in Sedem suam remitteretur.

Mathildis Comitissa de Romanâ Sede optimè merita, cui se & sua donavit, par multis Imperatoribus, magni animi fœmina moritur.

Moguntini insurgunt in Henricum IV. eumque compellunt dimittere Archi-Episcopum suum Adelbertum, quem is in durissimâ custodiâ detinebat, adeò ut tantùm pelle & ossibus hæreret præ miseriâ. Fuit autem hic Adelbertus quondam Cancellarius Henrici, & præcipua causa sacrilegii, factus Archi-Episcopus ad se rediit, & contra Imperatorem insurrexit magnâ laude constantiæ & pietatis. D 6 Ro-

Romani cives tumultuantur contra P
schalem, eligendo sibi Præfectum Urbi
inscio Pontifice.

✲(1116.)✲ Paschalis privilegium d
investituris Henrico concessum in Late
nensi Concilio, tanquam iniquum denuò
scindit; idemque mittit in Orientem Chr
solanum Mediolanensem Archi-Episc
pum, qui de processione S. Spiritûs egr
giè disputat contra Græcos, sed parùm
pud contumaces efficit.

✲(1117.)✲ Redit in Italiam Henric
IV. pœnitentiam simulans perfidiæ, & am
cè jam postulat à Paschali Papâ, quod
extorserat: sed neque hoc, neque absolu
tionem ab excommunicatione impetrat
præsertim quia Imperator in æde S. Pet
per Burdinum illum nefarium Braccare
sem Episcopum inaugurari se curaverat
Unde etiam idem Burdinus in Synodo ex
communicatus est, qui jam pridem omne
fidem & religionem perdiderat, vile man
cipium Imperatoris. Hic itaque in furia
actus Burdinum suum Pseudo-Pontificem
intrudit in Sedem, Paschali Papâ interim
Beneventum migrante, Synodum ibidem
celebrant.

Incipit Ordo Equitum S. Joannis Hiero
solymitani, cujus Magister creatus, mor
tuo

tuo Rogerio, Raimundus *De puteo Delphinas*, hic cùm anteà Religiosi ejus tantùm ægris inservirent, eos etiam ad arma ferenda excitavit, & in tres classes divisit, in Equites, Servientes, & Ecclesiasticos; Dicti autem sunt S. Joannis vel Baptistæ, vel Eleemosynarii, quòd eorum nosocomium alterutri istorum consecratum esset propè Basilicam S. Mariæ Latinæ, quæ condita fuerat, antequam Occidentales Palæstinam occuparent, à Melphytanis mercatoribus, ab Ægyptio Sultano impetratâ potestate.

Robertus de Abruscellis condit illustrissimum Cœnobium fontis Ebraldi, in quo viros à mulieribus separatos collocavit, ita tamen, ut in honorem & imitationem S. Joannis Evangelistæ, qui Mariam Dominam mundi suscepit in sua, & habitavit cum ea, viri uni Abbatissæ subessent, probatum est quidem institutum à summis Pontificibus, multi tamen illud convellere conati sunt; & quanquam Robertus nonnullis visus fuerit imprudentior in quibusdam, & ex judicio potiùs, quam voluntate peccâsse; sanctus tamen fuit in vita & post obitum miraculis clarus & à S. Bernardo & Petro Abbate Cluniacensi mirificè laudatus.

✲(1118.)✲ Balduino II. Rege Hie-

rosolymitano vitâ functo succedit Baldu
nus Bungo ejusdem affinis.

Defuncto eodem anno Alexio Comn
no Orientis Imperatori succeditCalo J
annes ejusdem primogenitus. Et Alexi
quidem, quanquam Catholicus esset,ex
dio tamen Occidentalium, ac præcipu
Francorum rem Christianam in Occiden
te pessundare conatus est.

Incipit Ordo Templariorum, initio ds
cto à novem viris nobilibus, quorum pra
cipui fuerunt Hugo de Paganis, & Gau
fredus de S. Ademaro. Dicti sunt Tem
plarii, quód eis Balduinus partem sui Pa
latii juxtà templum, & Canonici templi ei
plateam vicinam concessissent. Eorum
prima cura fuit, vias ad S. Civitatem tutas
reddere, & peregrinos omni ope & auxi
lio tueri: His posteà vestis candida assig
nata cum cruce & scripta regula, quam sa
tis accuratè servârunt, donec facti sunt
ditissimi atque potentissimi, ipsis etiam
Principibus & Regibus metuendi, quæ eo
rum ruinæ præcipua causa fuit.

Paschalis II. moritur. eidemque legiti
mè electus succedit Gelasius II. Monachus
Cassinensis, dictus olim Joannes,& invitus
atque reclamans deductus in Sedem Petri.
Verùm statim adfuit Centius Frangipanis,

qui

qui Pontificem pugnis & calcibus malè mulctavit, Cardinales quoque dissipavit & spoliavit, Catholicis autem accurrentibus retractus est Pontifex ex vinculis, & in Lateranense palatium magnâ pompâ reductus, vix ibidem respiravit, & adesse nunciatur Henricus Burdinum suum intrusurus, itaque secundo Tiberi Gelasius Ostiam fugit, ubi cùm nihil propiùs esset, aut ut raperetur, aut cæderetur à Germanis venenata tela spargentibus, neque tempestas pateretur eum se mari committere, Hugo de Alatro Cardinalis senem Gelasium humeris suis impositum Ardeam detulit nocte concubiâ, & in castro S. Pauli deposuit. Inde paulò pòst discedentibus Germanis Cajetam in suam patriam navigavit, ubi coram multis Proceribus & Præsulibus consecratus est, fuso sanguine suum Pontificatum auspicatus. In Sedem autem curante Henrico Burdinus nefarius pseudo-Pontifex intrusus est, assumpto mox nomine Gregorii, quem etiam in Germaniam discedens Imperator in Urbe reliquit. Irrepsit quoque in Urbem Gelasius, sed latens, qui tamen vix non à Frangipanis deprehensus, mox à suis equo impositus cum sacris vestibus fugit in Galliam.

✲(1119.)✲ Gelasius II. Pontifex in mo-

monasterio Cluniacensi moritur, cui mox Guido Archi-Episcopus Viennen S. R. E. Cardinalis absens electus subs tuitur, dictus Calistus II. qui eodem an Concilium Rhemense cum Patribus 4 præsente etiamRege Francorum celebr Henricus autem vocatus venire recus vit, quamvis Legatos ex viciniâ miserit ubi etiam denuò excommunicatus est.

✲(1120.)✲ Balduinus III. contra Tu cam prævio signo Crucis progressus, pra vio signo Crucis insignem victoriam re portat. Et mox Concilium habitum Sa mariæ ad corrigendos Christianorum mo res ac præcipuè Ecclesiasticorum in Pala stinâ.

Romæ cum magno gaudio & plaus Calistus II. suscipitur, & Burdinus Anti Papa in arcem sutrinam fugit.

Instituitur à S. Norberto Ordo Præ monstratensium.

DECAS III.

✲ *Ab anno Christi 1120. ad 1130.* ✲

1121 ROmanus exercitus Sutrinâ arce ✲ expugnatâ Burdinum Anti-Papam capit, cui milites turpiter illudunt, & æ-

grè

grè vita à Caliſto II. impetratur, ac commutatâ mortis ſententiâ in perpetuos carceres in Campaniam deducitur.

✲(1122.)✲ Concilium Lateranenſe præſentibus Epiſcopis 300. & ultrà à Caliſto celebratur, ex quo Legati in Germaniam miſſi ad res Eccleſiæ componendas, quæ propter inveſtituras à laicis & præcipuè ab Imperatore & potentioribus uſurpatas, valde turbatæ erant: à Legatis Wormatiæ indicta eſt Synodus, in quo Henricus divinitùs immutatus jam tandem ſeriâ pœnitentiâ Pontifici ſe ſubmittit, & ejurato jure inveſtiturarum & redditis omnibus bonis ereptis abſolvitur ab excommunicatione cum omnibus ſuis fautoribus & pax Eccleſiæ redditur.

✲(1123.)✲ Balduinus III. Rex Hieroſolymitanus in inſidias pellectus à Balacho potentiſſimo Turcarum Rege capitur, & in cuſtodia duodeviginti menſibus detentus tandem grandi pecuniâ redemptus eſt. Animos tamen non deſponderunt Chriſtiani, ſed Venetorum claſſe corroborati Tyrum hactenùs inexpugnabilem viſam capiunt.

Joannes Comnenus Orientis Imperator innumerabiles Scytharum copias Thracîam invadentes patrocinio Deiparæ repetit-

tit-

tito sæpe prælio superat & profligat, ejusque imaginem currui impositam in triumpho duxit, ipse autem pedes præcedebat meritus hac demissione sæpius triumphare.

✠(1124.)✠ Calistus Pontifex moritur, eique succedit Honorius II. humili loco natus, sed vir eruditus ac sanctus ante Pontificatum dictus Lambertus, & Cardinalis erat ac Episcopus Ostiensis. Qui adeo Pontificatum non ambivit, ut cum videret turbas ortas, multis Cardinalibus Theobaldum Cardinalem S. Anastasiæ eligentibus, Roberto autem Frangipanis pro Lamberti electione vim aliquam faciente, coram omnibus Cardinalibus, depositâ mitrâ & manto dignitate summæ renunciavit, jussus tamen illicò abjecta insignia Pontificatûs recipere ab omnibus uno consensu iterum Pontifex est acclamatus, et dignior quantò humilior.

Otto Bambergensis Episcopus Pomeranos in fide instruit.

Christiani in Syria à 40. millibus Saracenorum circumventi magnas in angustias rediguntur, ac proinde ad Dei opem implorandam more Ninivitarum etiam infantibus ac pecudibus indicto jejunio in hostem procedunt, licet vix essent ter mil-

le,

le, victiqúe sunt hostes cœlesti lumine territi multis millibus cæsis & perditis, & ex Christianis ne uno quidem amisso.

S. Malachias electus est hoc anno Conneretensis Episcopus, vir eruditissimus, & nactus Sanctimoniæ suæ Encomiasten S. Bernardum.

✲(1125.)✲ Henricus Imperator contra Ludovicum Crassum Regem Galliarum educit exercitum, ulturus quod passus erat Rhemis, ubi in Synodo præsente Ludovico excommunicatus erat: Unde Rhemos evertere statuit, Ludovicus autem aliunde accersitis copiis, & auxilio SS. Dionysii ac Sociorum implorato, vexillo quoque ex illorum ara accepto Henrico occurrit: quo apparatu is territus aut injecto potiùs divinitùs terrore fugienti similis rediit in Germaniam, & paulò pòst, ex mœrore ut creditur interiit, scilicet eodem adhuc anno, nullo hærede masculo relicto, unde ad Saxones Germaniæ regnum mox etiam Imperium translatum est. Lotharius enim Dux Saxonum Moguntiæ Germaniæ Rex electus est, maximè rem promovente Adelberto, & coronatus Aquisgrani. Exagitavit is Henrici progeniem, & affines, ut vir impius etiam post mortem in suis castigaretur.

1126.

✲(1126.)✲ S. Norbertus Antverpi egregiè confundit novos Hæresiarch Tongeinum & Bruisium insurgentes, Bruisius quidem propter sparsas hære vivus ad fanum S. Ægidii combustus est

S. Stephanus Arvernensis Ordinis Gra dimontensis Institutor miraculis claru moritur.

✲(1127.)✲ Rogerius Siciliæ Com Beneventum, aliasque ditiones Roman Ecclesiæ subjectas hostiliter infestat

Celebratur Concilium Trecense in Gallia cui etiam S. Bernardus interest.

S. Norbertus consecratur in Archi-Epi scopum Magdenburgensem.

S. Bernardus hoc anno Templariis cer tam vivendi formam præscribit, & multum laborat in Galliâ apud Ludovicum Crassum pro Episcopis in Ecclesiâ titè instituendis

✲(1128.)✲ Honorius Papa cum fœde deratis Principibus contra Rogerium Sici liæ Comitem movet, & cogit ad homagi um præstandum.

Hoc anno Gvarimundo Patriarchæ Hie rosolymitano mortuo suffectus est Stepha nus Abbas Carnotensis affinis Balduini, & virtutibus adhuc clarior, quàm genere. Is Hierosolymam peregrinatus in hanc Se dem reclamans inductus est, cùm de reditu

suo

suo cogitaret. Quia verò Regi pro tuendis juribus Ecclesiasticis Constantinus se opposuit, creditur intrà biennium veneno sublatus esse Martyr occultus.

✲(1129.)✲ Honorius II. Papa mittit ad Regem Daniæ, Scotiæ & Bohemiæ Legatum Gregorium Cimonum.

✲(1130.)✲ Moritur Honorius II. cui suffectus est legitimus Papa Innocentius II. contra quem factiosi homines Petrum Leonis Cardinalem, & olim Monachum Cluniacensem sub nomine Anacleti II. in Sedem intruserunt, & graviſſimum schisma invexerunt in Ecclesiam: Innocentius ad Ludovicum Galliæ Regem confugit, Anti-Papâ mox Basilicas diripiente, & pecuniam in addictos sibi cives dividente.

DECAS IV.

✲ *Ab anno 1130. ad annum 1140.* ✲

1131. ✲ INnocentius II. in Concilio Rhemensi Petrum Leonis excommunicat.

Balduinus III. Rex Solymæ liberatâ fortiter ac feliciter Antiochiâ ex morbo obit, eique succedit Fulco Comes Turonensis.

Innocentio Pontifici Rhemis Leodium pro-

proficiscenti Lotharius Rex Germaniæ o
currit, eumque summâ cum reverentiâ e
cipit, stratoris officio perfunctus : h
autem repetenti investituras , Henri
multo labore ablatas, fortiter & poten
se oppositit S. Bernardus.

S. Stephanus Rex Hungariæ moritu
in habitu Religioso, sceptrum suum Be
relinquens.

Ludovicus junior in Concilio Rheme
si jussu Ludovici Crassi Francorum Rex c
ronatur , cùm filius ejus Philippus jam a
tè inauguratus in suburbio Parisiis misen
bili fato occubuisset : sus enim inter ej
equi pedes se se implicans, hunc excussit
qui suo pondere Regiũ sessorem obtrivit

✲(1132.)✲ Innocentius in Italiam re
dit, & in Itinere Genuenses & Pisanos jam
ad arma conserenda paratos reconciliat.

Beneventani à Rogerio Siciliæ Tyranno
qui eos deprimere volebat, utì & ab Ana
cleto Anti-Papâ deficiunt, ac Rogerii ex
ercitum profligant.

✲(1133.)✲ Lotharius Innocentium
Romam reducit, & hic vicissim ab illo Im
perator coronatur, & statim Româ disce
dit, plures copias contra schismaticos &
contra Rogerium paraturus; Innocentius
autem Pisas se confert. Interim Rogerius
transi

transfretans cum Saracenis in Apuliam, ejus viciniam igne ferroque vastat.

✲(1134.)✲ Obiit hoc anno S. Norbertus Archi-Episcopus Magdenburgensis, & Conditor Ordinis Præmonstratensis.

In Concilio Pisano præsente S. Bernardo & præsidente Honorio Papâ Petrus de Luna Anti-papa, & fautores ejus denuo excommunicantur.

✲(1135.)✲ Aquitania cum suo Duce Guilielmo à schismate revocatur operâ S. Bernardi, qui videns verba in Duce nihil prodesse, potentiori machinâ usus, Corpus Christi ei protendit, & verbis minacibus affatus est, quibus ille conterritus prolapsus in terram quasi Epilepticus spopondit omnia : & promissis stetit. Qui verò eum hactenus detinuerat Anacleti schismate, Geraudus Engolismensis, impœnitens in lectulo mortuus est inventus. Cadaver ejus exhumatum postea & projectum, nepotes ejus & omnis prosapia exterminata.

✲(1136.)✲ Ludovicus Crassus Franciæ Rex, dissenteria moritur, cujus mors quam vita religiosior fuit, verè enim pœnitens obiit, Pollicitus se susceptorum habitum S. Benedicti deposito regno, distributisque inter inopes & Ecclesias facultatibus

tibus suis in cineribus decussatis Cru formâ manibus humiliter expiravit. Il de etiam laudatur à S. Bernardo, qui men viventem perstrinxit quia belli te pore religiosos vexavit.

Obiit quoque Guilielmus Dux Aqui niæ, ipse quoque verè pœnitens in pe grinatione Compostellam susceptâ. C funditur autem iste Guilielmus cum quodam S. Guilielmo qui armatus lor ferreâ pœnitentiam in agro Senensi egi scribitur.

✲(1137.)✲ Lotharius Imperator niens in Italiam cum Henrico Bavariæ D ceRogerium Ecclesiasticas ditiones vasta tem reprimit. Sed recedente Imperato recuperat sua, & iram suam sacrilegè i Ecclesias & virgines sacras effundit.

✲(1138.)✲ Petrus Leonis Anti-Pap dictus Anacletus impœnitens impiam an mam efflat, Cardinales qui à partibus ej steterant continuo substituunt Gregoriu Cardinalem eumque Victorem appellan Sed mox tam electores quam electus sub miserunt se Innocentio, unus perstitit schismate Rogerius, efferatus in Catho licos.

Lotharius Imperator moritur in mont bus Tridentinis in vili casa, constituto

bi hærede Bavariæ Duce, vir egregiè pius & singulariter devotus, omnibus Imperatoribus facilè præferendus, si ejus pietati fortitudo respondisset : quotidie enim etiam in exercitu tribus missis intererat, sæpè cum Augusta pauperum pedes abluebat, quos eadem Richiza uxor suis crinibus abstergebat. Sacerdotes coluit ùt Patres, pauperes ut filios, viduas ut matres ; Orationi lacrymas sæpenumerò miscebat. Cænobitæ virtute non impar.

✠(1139.)✠ Innocentius Papa celebrat Concilium Lateranense secundum mille circiter Episcoporum. In eo excommunicatur Rogerius Siciliæ Comes, & Ecclesiæ hostis: nec non Arnoldus Lector Brixiensis discipulus Abailardi hæresis condemnatur.

Innocentius Pontifex hoc anno captus perfidiosè à Rogerii filio ad Patrem deducitur, & non ut captivus sed ut Pontifex amicè receptus est. Ambo enim pater & filius ad ejus pedes prociderunt, veniam deprecantes & impetrantes. Rogerio enim Pontifex regnum Siciliæ per vexillum concessit, sicut & Ducatum Apuliæ & Principatum Capuæ, ex feudo tamen Pontificis. Atque ex eo tempore mutatus in melius Rogerius pietati se dedidit, dignus etiam qui à viris sanctissimis laudaretur.

✠(1140.)✠ Petrus Abailardus pro
ciſſimus hæreticus in Concilio Rhem
auſus provocare S. Bernardum, ab eo
tus & elinguis redditur, ubi ejus err
damnati, & Romæ ſententia confirmata
Dumque Romam ille pergeret, à P
Venerabili retentus Cluniaci ex errone
nus Monachus effectus eſt, omnibus
erroribus abjuratis: Aloiſia quoque
batiſſa Paradeti, quam anteà, dum ea
rudiret virginem vitiaverat, de ſui M
ſtri ac propè conjugis honore ſollicita,
ſolutionem ejus tumulo inſcribi voluit
quæ dedecoris ejus cauſa fuerat, eſſe
quoque receptæ æſtimationis.

HÆRESIS ABAILARDI, ET A
NOLDI DISCIPULI EJUS.

1. *Tutus eſt errorem Arii contra SS. T
nitatem.*

2. *Reſuſcitavit errores Pelagii circa grati*

3. *Circa Perſonam Chriſti Neſtorianum
præbuit.*

4. *Dicebat aliquam in Deo ineſſe compo
ſitionem.*

5. *Deum non omnis boni eſſe auctorem.*

6. *Statuebat aliquid diſtinctum à creat
& creaturis, & putabat aliquid aliud eſſe ac
num præter Deum.*

7. *Aſſ*

7. *Affirmabat aliquid ab Angelis creatum esse.*

8. *Potestatem Patri, Filio sapientiam, Spiritui S. benignitatem attribuebat, non per appropriationem, uti Doctores Catholici, sed per proprietatem, ità ut solus Pater esset potens, & non Filius, neque Spiritus S. & solus Filius sapiens, & non Pater, &c.*

9. *Abnuebat spiritum timoris Dei in Christo extitisse.*

10. *Spiritum S. vocabat animam mundi.*

11. *Hominem libero arbitrio denudabat.*

12. *Docebat nullam esse in rebus contingentiam sed necessitate absolutâ fieri.*

13. *Fatum ita extollebat, ut Deum ipsâ suâ libertate spoliaret, dicens, ita quælibet fieri, ut aliter à Deo fieri non possint.*

14. *Asserebat omnes diaboli tentationes ex lapidum herbarumque attactu originem ducere.*

15. *Beatos, ajebat, non videre Deum, sed solummodò claritatem essentiæ ejus, in cujus claritatis visione beatitudinem collocabat.*

16. *Denique putabat, ea solummodò credenda esse, quæ nostra mens duce ratione comprehendere potest.*

Præter hos errores Arnoldus Brixiensis, Arnoldistarum parens docuit insuper, omnia bona temporalia Laicorum esse, & perperam facere Clerum, si illorum particeps esset: Falsa etiam quæ-

quædam tum de SS. Altaris Sacramento, t
de parvulorum baptismo comminiscebatur.

HÆRESIS DURANDI DE WALDACH.

IN Arragoniâ impostor hic cum comite q
dam assectatore suo inter alias hæreses et
sparsit, matrimonium nihil aliud esse, quàm
cultam fornicationem, qui error jam priden
Marcionistis & aliis Hæresiarchis damna
erat. Cúmque resipiscere nollet, igni adjudi
tus est zizaniorum seminator unà cum socu

HÆRESIS MARSILII PADUAN

1. *ASseruit, post JESU Christi ascensio*
Papam non mansisse Vicarium Christi.

2. *Summum Pontificem subjici debere Imp*
ratoris judicio; quin etiam Imperatorem S
vacante posse succedere Pontifici.

3. *Nullum esse inter Sacerdotes & Epis*
pos discrimen.

4. *Homines Ecclesiasticos neque agros, n*
ulla alia bona possidere posse.

HÆRESIS BASILII ANTESIGNA BONGOMILORUM.

BAsilius Medicus auctor sectæ Bongomilorum
hic Monachi habitu larvatus sparsit ver
num suum tempore Alexii Imperatoris, à q
etiam igne mulctatus est.

1. *Negavit SS. Trinitatem.*

2. D

2. *Libros Moysis rejecit, non nisi septem Scripturæ libros admittens.*

3. *Somniavit Deum humanâ formâ esse præditum.*

4. *Mundum fuisse ab Angelis, hoc est, dæmonibus creatum.*

5. *Insaniit, Michaëlem Arch-Angelum fuisse incarnatum.*

6. *Professus est Iconoclastiam, & damnavit omnes SS. Patres, qui imagines venerandas esse docuerunt.*

7. *S. Crucem contempsit, eò quòd Salvator in illa mortuus sit, dixitque, meram simulationem esse, quòd dæmones Crucem fugiant.*

8. *Baptismum Ecclesiæ Catholicæ non esse alium, quàm fuerit Joannis Baptistæ, suum verò Baptismum esse ipsum verum JESU Christi Baptismum.*

9. *Sacrosanctum Missæ Sacrificium vocabat sacrificium dæmonum.*

10. *Eucharistiam, ajebat, esse ipsam Orationem Dominicam.*

11. *Orationes omnes, exceptâ Dominicâ, esse meras nugas.*

12. *Suos assectatores omnes Verbum Dei concipere, æquè ac Beata Virgo conceperit.*

13. *Non aliam esse resurrectionem, nisi pœnitentiam & vitam Evangelicam.*

14. *Templa domicilia esse dæmonum mentiebatur.*

15. *Fas esse, ad vitam tuendam fidem si*
lare.

DECAS V.

Ab anno Christi 1140. ad 1150.

1141. TIburtini schismatici Innocen
pervicaciter obsistunt, Roman
rum agros vastantes, à quibus fortiter
tunduntur, & ad se submittendum co
pelluntur.

(1142.) Fulconi Hyerosolym
rum Regi ex equo delapso & defuncto su
cedit Balduinus III. annorum 13. sub t
telâ Melescentis matris.

Oritur gravis controversia inter Lud
vicum Francorum Regem & Papam In
centium propter Archi-Episcopum Bi
ricensem, sed dexteritate ac prudentiâ
Bernardi componitur.

(1143.) Moritur Comnenus, s
Calo Joannes Orientis Imperator, in v
natione sagittâ suâ à se ipso lethaliter l
sus, cui succedit ejusdem filius Manue
seu Emmanuel.

Innocentius Papa dum laborat contra Ro
manos cives, qui Senatum & veterem Re
publicæ formam reducere satagebant, p

in Domino obdormivit, & statim omnium consensu datur Quido de Castello, dictus Cælestinus II.

✲(1144.)✲ Cælestinus, cùm sedisset menses 5. & dies 13. vitâ & officio defungitur, cui die sequenti sufficitur Gerardus ex Ordine Canonicorum Regularium, Cardinalis Cancellarius, & Bibliothecarius S. R. E. Lucius II. cognominatus.

Romani Arnaldistæ, seu Politici hæretici dicti apertè contra Papam rebellant. Dicti Politici, quia Principibus Politicis potestatem concedebant supra Papam, unde etiam Patricium sibi quasi Principem elegerunt, penès quem esset Urbis Romanæ administratio, & Pontificem decimis & oblationibus contentum esse jusserunt.

Christiani in Oriente, dum Bostra Metropolim Arabum obsident, in insidias incautè ruentes, virtute S. Crucis, quam præferebat Robertus Nazaræus Antistes, periculo excepti sunt. Moxque iterum internecione delendi ducti sunt à prævio quodam ignoto Duce, quem bonum fuisse Genium Palæstinæ omnes, actis splendidè Deo gratiis, agnoverunt.

✲(1145.)✲ Lucius II. Pontifex obit, cui statim suffectus est Bernardus Abbas Cisterciensis S. Anastasii trium fontium,

licèt non esset Cardinalis, & dictus est E
genius II. Hic mox, ne Arnoldinorum p
stulatis annuere cogeretur, concubiâ n
& e Româ profugit, & apud Monasteriu
Farsense consecratur; Quo audito Arn
distæ Romæ ingentes turbas concitant,
Cardinalium aliorumque bonorum, q
eorum cospirationi consentire nolebam
domos diripiunt. Ad Eugenium aute
Viterbii extorrem frequentes Legation
ex Angliâ, Armeniâ, Syriâ, &c. venium
& is ad novam expeditionem in Palæs
nam susciendam Christianos Princip
modis omnibus excitare satagit, & Roma
nos partim excommunicatione, partim a
mis Tiburtinorum ad pacem compellit,
in Urbem revertitur.

Circa hæc tempora mirabiliter eluxit
vis Christiani Baptismi in Agarenis, de qu
bus retulerunt Armeni Legati ad Euge
um, quòd homines Gentis istius pleriq
fœtentes nascerentur, quem tetrum odo
rem recepto Baptismo statim perdiderunt
Ideò factum est, ut sacrum hoc balneum
multis deinceps negaretur, quia illud u
pharmacum corporis, & non animi expe
tiêrunt.

✠(1146.)✠ Multiplici Christianorum
expeditione celebris hic annus fuit. Præ-
cipu

cipua inter eas fuit, cui S. Bernardus clàſſicum occinuit, & cui nomen dederunt Ludovicus VII. Franciæ, & Conradus Romanorum Reges cum populo innumerabili: Prudenter impedivit Bernardus, ne Judæi necarentur, quos Petrus Cluniacenſis cenſuit bonis ſuis ſpoliandos propter exercitas uſuras, ut furtis ſceleratorum hominum Chriſtiani milites alerentur. Alia quoque expeditio ſuſcepta eſt contra Saracenos in Hiſpaniam, ita ut Orbis convolare videretur pro gloriâ Chriſti amplificandâ.

✲(1147.)✲ Conradus Imperator Germaniæ cum exercitu Germanorum multis per viam ſuperatis difficultatibus propè Conſtantinopolim caſtra figit, ſed proditus à Græcis, & à Turcis laceſſitus, totum propè exercitum perdit. Juſſu enim Manuelis calx Latinorum farinæ admiſcebatur, unde plurimi periêrunt, & Conradus Conſtantinopolim regredi coactus, ubi à Manuele tantò benigniùs acceptus eſt, quantò magis præoptavit eum infelicem, quàm victorem excipere.

Conradum ſecutus eſt Ludovicus Galliarum Rex cum magnis optiméque inſtructis copiis (cùm in Gallis priùs Eugenium Pontificem, qui ad Romanos Arnaldiſtas

evitandos, eò se receperat) hic tande
perveniens in Pamphiliam Christianis m
gno solatio & auxilio fuit, Turcas enim
genti clade affecit. Sed mox ad Laodi
am Phrygiæ unius hominis impuden
pænè est in ultimas redactus angustias.
xillifer enim maximus in monte subsist
jussus, in quo castrorum locus delectus e
quia sol adhuc altiùs videbatur, ultrà p
rexit; agmen igitur ultimum nox occup
vit, quod aggressi Turci & parati & loco
periti, penitùs delevêre, ac nihil propi
quàm ut Rex ipse caperetur. Capto nih
ominùs ex arenâ consilio, Rex perve
Attaliam in Pamphiliam regionem fer
lem, ubi Franci vires fessas & crebris Sa
cenorum assultibus attritas reparavêre.

Alphonsus Lusitaniæ Rex Mauris erip
Ulysipponem, multo eorum sanguine fu

Deteguntur duo Hæresiarchæ Gilbert
Porretanus Pictaviensis Archi-Episcopu
& Henricus Petrobrusianus, quos egreg
confutavit & convicit S. Bernardus. S
quoque zizania spargere cœperunt hær
tici dicti Apostolici, re ipsâ insignes hypo
critæ & sectatores Manichæorum, quib

idem Bernardus se ùt aggerem &
murum opposuit.

* * *

HÆ

HÆRESIS GILBERTI PORRETANI.

1. PRimus error illius & assectarum fuit, essentiam Divinam non esse Deum.

2. Personarum Divinarum proprietates non esse ipsasmet Personas.

3. Personarum Divinarum proprietates esse res æternas ab essentiâ differentes.

4. Divinitatem in Filio Dei non fuisse incarnatam.

5. Rejiciebat merita hominum, asserens, solum JESUM Christum meritum esse.

5. Baptismum redigebat in nihilum, dicens, neminem verè baptizari, nisi qui salvandus esset.

HÆRESIS PETRO-BRUSSIANORUM, AUCTORE PETRO DE BRUIS

PEtrus de Bruis seminavit sua mendacia in Provinciâ Arelatensi per annos ferè viginti, donec igni tandem addictus pœnas dedit.

1. Docuit, parvulos ante annos discretionis per Baptismum salvari non posse, & fidem alienam iis neutiquam prodesse, qui ipsi credere nondum possint.

2. Nullas esse exstruendas Ecclesias, & Christianis non esse in locis sacris adorandum.

3. Sacras Cruces confringendas & comburendas,

4. In Eucharistiâ non esse realitatem Corporis Christi,

5. *Defunctis nihil prodesse suffragia, orationes, vel Sacrificia, &c.*

HÆRESIS PSEUDO-APOSTOLICORUM.

1. *Apostolicos se appellabant, eò quòd præter Apostolos alium auctorem non agnoscerent.*

2. *Abstinebant à lacticiniis, & omnibus iis quæ à corporeâ commixtione proveniebant.*

3. *Irridebant Baptismum parvulorum, purgatorium, atque preces pro defunctis.*

4. *Sanctorum suffragia explodebant.*

5. *Jusjurandum omne illicitum ajebant.*

6. *De fide suâ interrogati, obstinatè ea omnia negabant, de quibus suspecti erant.*

7. *Se verum Christi Corpus esse jactabant, & veros Apostolorum successores, ad quos Ecclesiæ potestas esset translata.*

✲(1148.)✲ Conradus Germanorum & Ludovicus Francorum Reges in Palæstinâ conveniunt, & Damascum oppugnant, cujus tamen obsidionem hostibus proditi solvere coguntur.

Eudo Hæresiarcha damnatur in Concilio Rhemensi, & paulò pòst dedoctus suos errores moritur, Sed discipuli ejus obstinati, igni traduntur.

HÆ

HÆRESIS PSEUDO-PROPHETÆ EONIS SIVE EUDONIS DE STELLA.

POtissima ejus hæresis magiæ fumo tetriùs obtenebrata in eo posita erat, quòd se diceret illum ipsum esse qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. Suos sectatores quosdam Angelorum, & quosdam Apostolorum titulo honorabat.

✲(1149.)✲ Conradus Rex Germanorum redit sine exercitu & sine gloriâ in Germaniam, dignus litteris consolationis ab Eugenio Papâ missis; Rediît haud majore gloriâ Ludovicus Rex Francorum, qui in viâ interceptus à navibus Græcorum vel Turcarum, iterum liberatus est à classe Rogerii, cui Dux Georgius præerat, hic progressus usque Constantinopolim sagittas aureas in palatium Imperatoris projecit & suburbia incendit.

S. Bernardus propter sinistrum successum expeditionis in Terram sanctam, ad quam ille adhortator fuerat, multis calumniis & oblocutionibus exagitatur. In solatium autem tum S. Bernardi, tum Ordinis illius Deus magni nominis Monachum illis dedit Henricum Ludovici Regis fratrem, qui mox ex consilio S. Bernardi accepit Episcopatum Bellovacensem. Sancti

enim viri piùs res Eccleſiæ, quàm ſuas rare debent.

✲(1150.)✲ Rogerius Siciliæ Rex Germanicæ & Gallicæ nobilitatis flor Græcorum proditione demeſſum, ec multis cladibus afficit, calcar fortiter dente adverſùs Manuelem Imperator Petro Cluniacenſi : eóque progreſſus Rogerius, ut Corſyram Inſulam penitùs peret, & Corinthum caperet ac ſpoliare

DECAS VI.

✲ *Ab anno Chriſti 1150. ad 1160.* ✲

1151. ✲ MAtrimonium inter Ludovicum Juniorem, Galliæ Regem & Ele onoram diſſolvitur, quia ſanguine, quà eſſet, conjunctiores erant, & uterque ſ fieri poſtulabat, Ludovicus quidem prop ter conjugis impudicitiam, & Eleonora quia Monachum maritum, ſic Ludovicum appellabat, habere recuſabat.

Gratianus patriâ Cluſinus Monachus S Benedicti Claſſenſis in Monaſterio S. Feli cis Bononiæ abſolvit opus ſuum inſcriptum *Decretum, ſeu Concordia & diſcordantia Canonum* Hoc opus emendatum eſt anno 1570 juſſu

juſſu Gregorii XIII. ita tamen ut in eo errores relinquerentur.

✲(1152.)✲ Conradus Rex Romanorum moritur, non absque ſuſpicione præſtiti veneni à Medicis, quos à Rogerio in Siciliâ receperat, ſibi propinati. Succeſſit ei Fridericus cognomento Ænobarbus Dux Sueviæ.

Moritur eodem anno Rogerius Siciliæ Rex relicto ſucceſſore Guilielmo Filio.

✲(1153.)✲ S. Bernardus & Eugenius Papa moriuntur, priùs reconciliatis Sedi Apoſtolicæ Arnaldiſtis Romanis: Eugenio ſufficitur Anaſtaſius IV.

✲(1154.)✲ Fridericus Rex Romanorum venit in Italiam, milites autem in tranſitu propter penuriam malè affecerunt incolas, unde indictâ poſteà militibus collectâ ſatisfacere voluit, non tam ad injurias compenſandas colonis, quàm deſiderio Coronæ Imperatoriæ obtinendæ à Pontifice.

Eodem anno moritur Anaſtaſius IV. & illi ſurrogatur Nicolaus Anglus, dictus Hadrianus IV. Epiſcopus Albenſis, olim monachus, qui Legationibus præclarè obitis viam ſibi ad hanc dignitatem paravit.

✲(1155.)✲ Arnaldus Brixienſis iterum Romæ turbas excitat, ſed tandem pœnas ſcele-

scelerum dedit, quas diù meruerat. A
Urbis enim Præfecto captus & vivus ex
stus est.

Guilielmus Siciliæ Rex in Ecclesiam r
bellis excommunicatur.

Fridericus Rex Germaniæ ab Hadria
IV. Romæ in Imperatorem coronatur.

✲(1156.)✲ Balduini III. exercitus
Palæstinâ magnâ clade afficitur à Sarac
nis, quòd datam eis fidem non servâsse

Guilielmus Siciliæ Rex grandi exerci
Pontificem Beneventi obsidet, & iniquis
mis conditionibus ad deditionem compe
lit, quas deinde Innocentius III. meritò r
scidit. Guilielmus autem ab hoc tempor
in omnibus infortunatus fuit, ut, nisi sc
leribus excæcatus fuisset, satis intelliger
unde hæc mala.

✲(1157.)✲ Oritur gravis controve
sia inter Hadrianum Papam, & Frider
cum Imperatorem ob Episcopum Lond
nensem ad sua revertentem, malè accep
tum in Germaniâ, & in custodiâ retentum
Cùm enim Pontifex Legatos ad Impera
torem hac de causâ misisset, & litteris in
super conquestus acerbiùs esset, Impera
tor non tantùm Legatos ignominiosè re
misit, sed etiam editis litteris circularibu
prohibuit suis Romam peregrinari, & ca
pitalis

pitalis inimicitiæ signa palàm ostendit, Episcopis Germanis, qui plùs hominem, quàm Deum timebant, ad hæc tantùm murmurantibus.

✲(1158.)✲ Fridericus cum exercitu petit Italiam, sed placatur ab Hadriano, mitiores litteras per Cardinales Legatos mittente. Usus enim erat in litteris, quibus ad iram Germanos & Imperatorem provocavit, his verbis *Beneficium*, item *conferre Coronam*, quasi per modum Feudi Imperium datum esset à Pontifice, &c. Igitur nunc tempori cedendum prudenter ratus Pontifex, verborum suorum sensum ita interpretatus est, ut vellet nomine *Beneficii* non Feudum, sed qualitercunque *Bonum factum*, & *Conferre Coronam*, non pro *Dare pleno jure*, sed simpliciter pro *imponere* intelligi. His itaq; placatus Imperator Pontifici & Clero Romano reconciliatus est.

Conventus celebratus est Roncaliæ ad agendum de Regalibus, quæ in Longobardiâ ratione Imperii ad Imperatorem spectarent. Ad hunc Conventum Principes & Consules civitatum Longobardiæ, atque etiam celeberrimi Doctores Juris convocati sunt, quos inter Martinus quoque & Bulgarus. Contigit autem, ut Imperator aliquandò inter hos duos Jurisperitos

ritos equitans interrogaret utrùm de ipse Fridericus Imperator esset Domi mundi, cui Bulgarus respondit, non Dominum mundi quò ad proprietate Martinus autem insignis adulator *Omni* inquit, *Imperator Fridericus Dominus mu est.* Imperator igitur cùm ab equo desce dissset, eum in præmium adulationis M tino donavit, Bulgaro indonato præt missso. Cui Bulgarus ingeniosè cavilla inquit: *Equum amisi, quia dixi æquum.* D hoc Martino memorant, pertinacissimu fuisse, quamcunque in partem se dedisse seu æquam seu iniquam. Unde etiam int Leguleios Martini nomen pro pertinaci hanc horam usurpatur,& quod unius pro prium fuit, cœpit esse appellativum.

✲(1159.)✲ Hadrianus IV. moritur e angina, unde data est occasio fabulandi e um muscâ in os subeunte suffocatum esse cùm dicere vellet anathema Friderico, hi enim novam tumultuandi materiam con tra Hadrianum eodem tempore conquis verat. Verùm nunquam hic rebellis sa cro fulmine perculsus est ab Hadriano quamvis id propter illegitimas nuptias promeritus esset. Hadrianus porrò vi fuit eximiæ pietatis,ut qui nec obolum su is parentibus aut affinibus dederit, & ma-

trem

trem ſuam inopem eleemoſynis Eccleſiæ Cantuarienſis alendam reliquerit.

Hadriano ſubſtitutus eſt Rolandus ab univerſo Clero, populoque Romano, natione Tuſcus Presbyter Cardinalis ſub nomine Alexandri III. ſed huic duo Imperii Cardinales mox opponunt Anti-Papam Octavianum divitem, ex Comitibus Tuſculanis ortum, dignitatis hujus avidiſſimum, qui paratis ſatellitibus, & quibuſdam Romanis auro corruptis verum Pontificem & Cardinales obſedit, at illi à populo liberati Nymphas ſeceſſerunt, & ibi Pontifex ab Epiſcopo Oſtienſi Conſecratus eſt: dum Romæ intereà à quibuſdam Carioſis Præſulibus ſub nomine Victoris prophanaretur Octavianus, mox excommunicatus à legitimo Pontifice, qui & intruſo & ejus fautori Friderico Imperatori prævaluit.

✲(1160.)✲ Fridericus modis omnibus tueri nititur Pſeudo-Papam, & in ſuas partes adducere Reges Franciæ & Angliæ conatur, ſed hos conſtanter Sedi Apoſtolicæ addictos invenit. Oſtendit etiam quòd plùs valeret pedibus quàm manibus, cum Venetos, Veronenſes & Longobardos bello ob eandem malam cauſam laceſſens ante initum prælium fugit.

DE-

DECAS VII.

Ab anno 1160. ad annum 1170.

1161. ALexander à Regibus Franciæ
✲ Angliæ Pontifex legitimus d
claratus & agnitus cum tuto in Italia pr
pter ſchiſmaticos conſiſtere non poſſet
navibus Guilielmi Siciliæ Regis in Gallia
portatur, priùs tamen Anagaiæ Eduard
Regem Angliæ in numerum Sanctorum
refert.

✲(1162.)✲ Fridericus Victorem An
ti-Papam ſtabilire conatur, ſed Alexandr
vero Pontifici Reges Franciæ, Angliæ
Daniæ magno zelo & magnis copiis ſe op
ponunt, Deus etiam gravi Germanis ex
ercitibus fame immiſſâ Fridericum cum
ſuo pſeudo-Pontifice, quem ſecum duce
bat, ad recedendum compellit.

S. Thomas ex Cancellario regni Angliæ
Archi-Eiſcopus Cantuarienſis creatur.

✲(1163.)✲ Balduino III. Hieroſoly
mitano Regi defuncto ſucceſſit frater A
malricus, coactus tamen priùs dimittere
uxorem ſuam. Quam in quarto gradu
conſanguinitatis duxerat, filii tamen ex ea
ſuſcepti legitimi judicati ſunt, quibus om
nibus

nibus Pontificius Legatus adfuit, ne res in dubium vocaretur.

Alexander II. in Galliis Concilium Turonense celebrat, cui etiam S. Thomas Archi-Episcopus Cantuariensis intereſt: ſed hic reverſus in Angliam in Regis offenſionem gravem incurrit, quòd bona Eccleſiæ à Laicis uſurpata repeteret, & Cancellarii munere ſe abdicaret.

✠(1164.)✠ S. Thomas multis ſvadentibus ut Henricum Angliæ Regem iratum flecteret, appellato Pontifice navigavit in Belgium irriſus ab aulicis, ſed à populo cæleſtis adinſtar genii exceptus, & ſalutatus, venit ergo ad Alexandrum & coram eo cauſam ſuam agit. Damnantur Henrici Conſtitutiones, unde is in utrumque furere cæpit, Henrico enim ſedato nullus mitior & eo irato nemo ferocior erat. S. Thomas interea in Pontiniaco nobili Ciſtercienſis Ordinis monaſterio religioſæ pietatis exemplar vivit.

Obit Lucius Anti-Papa Octavianus dictus Victor, ſepultus extra civitatem, tumulum illi negantibus in ſua Eccleſia Canonicis. Huic ſtatim ſuffectus eſt Guido Cremenſis Cardinalis vocatus Paſchalis III. quem cum ſuis ſchiſmaticis Fridericus approbavit. Rediit interea Romam Alexander

à ſuis

à suis accersitus & tantò gratior qua diutiùs religionis causâ abfuerat.

Obiit hoc anno Petrus Lombardus E scopus Parisiensis libris quatuor sentent rum vir Clarissimus, unde etiam Magis sententiarum appellatus est.

✲(1165.)✲ Henricus Angliæ Rex nuit cum Alexandro Papa in colloqui indictum convenire si Thomas interes unde etiam reconciliationis negotium ruptum est, & Alexandro in Italiam meante Rex magis adhuc fremebat in Th mam & omnes propinquos ejus expe miserabili cultu, ut eorum aspectu squ lido vir Sanctus commotus à sua senten nonnihil remitteret, sed perstitit ille, hanc quidem constantiam in bono, mu pertinaciam iniqui censores, appel runt.

✲(1166.)✲ Fridericus Imperator cu exercitu venit in Italiam, ut in Petri se pseudo-Pontificem collocaret. Sed ejus dem conatibus Longobardi aliique confe derati fortiter restiterunt : etiam præm injecto à Manuele Imperatore Orienti qui, Friderico Anconam obsidente, per l gatos suos Alexandrum rogavit, ut sib redderet Imperium Occidentale, tantùm pecuniæ pollicitus, quantùm, opus esset ad

It-

Italiam uni Pontifici ſubjugandam : quod licèt difficile videretur , non eſt tamen repudiatum , ut hoc metu Fridericus in officio contineretur.

Obiit Guilielmus Siciliæ Rex cognomento malus , cui ſucceſſit filius Guilielmus congnomento Bonus. Cujus vim nominis ſtatim expertus eſt Alexander recipiens ab eo ingentem pecuniæ ſummam, quâ Pontifex turbatis hiſce temporibus plurimùm indigebat.

✲(1167.)✲ Romani ſumentis arma pro Alexandro III. contra Tuſculanos ab his Imperatorio milite auctis, magna clade afficiuntur , quibus auditis Fridericus relictâ Anconâ, Romam accurrit : ubi tamen ab arce S. Angeli depulſus eſt , ſicut & ab Eccleſia S. Petri : igitur flammas iniici juſſit, præſidiarii autem ſe ſe dedentes incendium prohibûere. Svaſit adhæc Imperator callidè Romanis , ut deponeretur uterque Pontifex , & tertius eligeretur ; in quod dum inclinare videntur miſeriis fracti cives , Alexander veritus ne dederetur Cajetam fugit , & inde Beneventum. Exercitus autem Imperatorius peſte afflictus totus interiît , cum viris Principibus & Epiſcopis. Itaque miſer Imperator fugere compulſus eſt : exagitatus à Longo-

ber-

bardis in ejus perniciem conjuratis, atq
ita preſſus, ut ſolis montibus & locis in
ceſſis ſe ſe tutaretur.

Ludovico VII. Franciæ Regi naſci
Philippus dictus Adeodatus & Auguſt
quem vidit in ſomnio pater, antequ
naſceretur, in aureo poculo vicinis Prin
pibus ſanguinem propinare, quod indi
um fuit atrociſſimorum bellorum, q
cum iiſdem geſſit.

✲(1168.)✲ Cùm S. Thomas meri
de Romanâ curiâ queri videretur, Lud
vicus effecit, ut cum illo colloqueretur.
Hîc Sanctus abjicit ſe ad Regis pedes, p
licitus, acturum ſe, quidquid poſſet ſalt
honore Dei. Sed cùm urgeret Henricu
ut faceret ſaltem, quod à ſuis anteceſſor
bus præſtitum eſt, idque Ludovicus &
ſtantes omnes æquum judicarent, reſti
S. Thomas, & gratas ſibi ærumnas for
aſſeruit, quales anteceſſores ſui pro relig
one perpeſſi ſunt. Hiſce abalienatus à Th
ma Rex Franciæ prohibuit ſuffici impoſte
rùm præſtita hactenùs alimenta, adeò ut
Thomas in ſummam miſeriam delaberetur
mox tamen Ludovicus ad ſe reverſus, re
petitâ flexis genibus à S. viro veniâ: hu
de more omnia liberaliter ſuppeditavit,
cum Henrico pro Thoma diſceptavit dein
ceps ùt piiſſimus cum ſcelerato ſolet.

Fri

Fridericus Imperator ab Alexandro in Concilio Lateranensi excommunicatur & Imperio privatur. Ille autem rursus cum novis copiis Italiam ingreditur, sed cæsus à Mediolanensibus furore ac contumeliâ plenus regredi compellitur.

Ædificatur à Longobardis nova urbs in honorem Pontificis dicta Alexandria.

✲(1169.)✲ Causa S. Thomæ seriò & fortiter agitatur inter Pontificem & Henricum Angliæ Regem, ad quem Legati à Pontifice missi sunt Vivianus & Gratianus: hic nepos Eugenii Pontificis S. R. E. Subdiaconus, Vivianus autem Urbis veteris Archi-Diaconus munere advocationis in curiâ Romanâ conspicuus. In colloquio habito minaciter dicenti Regi, *Per oculos Dei ego faciam aliud*: Gratianus Christianâ libertate repositi: *Domine, noli minari, nos enim nullas minas timemus, quia de tali curiâ sumus, quæ consvevit imperare Imperatoribus & Regibus.* Neque tamen Rex à pertinaciâ destitit, re infectâ Gratiano Romam redeunte, & tantùm Viviano aliquantisper adhuc, spe concordiæ, remanente.

Dum Henricus in Angliâ jura Ecclesiastica impugnat refractariè, alius potentissimus Rex Hungariæ, Croatiæ, & Dalmatiæ omnia restituit, tum quæ ipse, tum

quæ anteceſſores Eccleſiaſtica bona ut parant.

Hoc anno Sultanus Iconii, à matre, cultè Chriſtianâ propter metum Saracenorum, inſtitutus, in Siciliâ ſacris Baptiſmi quis abluitur. Referunt de eo Matthæus Paris & Robertus in appendice Sigeberti quòd mater ejus moritura juſſerit ſignum Crucis ſuper ſepulchrum ſuum collocari idque dum faceret Sultanus, Saracenos terrimè commotos Crucem dejicere conatos eſſe; ſed qui primi id facere aggressi ſunt, hos mortuos corruiſſe, toto autem populo conveniente, & contra Crucem ferente, pleroſque demiſſis è cœlo fulgoribus interiiſſe; Angelum quoq; Dominicum, qui lucidiſſimum ſignum Crucis ſuper pyramidem poſuit, Unde plurimi ad fidem Chriſtianam converſi, & ipſe Sultanus ad Alexandrum Papam miſſis Legatis petiit virum idoneum, à quo in Fide inſtrueretur, & eo accepto, clanculùm exercitu ſuorum, baptizatus eſt.

Sicilia tanto terræ motu concuſſa eſt, ut Catana civitas corruerit, & virorum, & mulierum circiter quindecim millia cum Epiſcopo ac plurimâ parte Monachorum ruinis oppreſſi fuerint.

✲(1170.)✲ Henricus Angliæ Rex

Alexandro Pontifice minis excommunicationis compulsus redire jubet adEcclesiam suam S. Thomam Episcopum Cantuariensem. Sed dum â malis instigatoribus falsò S. Thomam criminantibus commotior factus imprudenter hæc verba effunderet : *Ergò ex omnibus quos alui & beneficiis devinxi, nemo est, qui me vindicat ab uno hoc Sacerdote, qui adeò regnum & Regem turbat ?* quatuor ex adulatoribus viri nobiles enormi scelere gloriam suam & familiæ titulum perpetuâ ignominiâ obscuraturi in necem Thomæ simul conspirantes, sanctum Antistitem cum suis Vespertinum Officium persolventem obruerunt, qui primùm ædituos arguit, quòd obice portarum armatam furiosorum manum excludere tentarent, dicens : *Non esse Ecclesiam castrorum more custodiendam*, Et se ipsum mox ingenti animo mortem minitantibus obtulit, & in modum orantis inclinato capite ferales ictus excepit, quibus cerebrum cum sanguine super ecclesiæ pavimentum effusum est. Ejus sepulturam Monachi Cathedrales & reliqui Clerici curârunt, qui cùm adhuc in choro jaceret super feretrum, levatâ manu dextrâ stupentibus omnibus benedictionem impertivit.

Emmanuel mittit jam secundâ vice Le-

gatos ad Alexandrum cum magnâ co pecuniæ, rogans, ut jam Fridericus pr ter ſchiſma excommunicatus imperio vetur, & ipſe Emmanuel Imperator O dentis inauguretur. Pontifex autem to cum Cardinalibus conſilio, & gr Emmanueli actîs, Legatos & munera re ſit, reſpondens, Pontificem pacis, non ſenſionis auctorem eſſe poſſe ex officio commiſſo.

Guido Cremenſis Epiſcopus & Anti pa cancri morbo in renibus appare conſumptus cum pulmonibus fætidis ſ em ſimul & animam evomuit. In cujus cum à ſchiſmaticorum fæce ſtatim ſur gatus eſt Joannes Abbas Strumenſis, apoſtata, lubricus, vorax, & gyrovag quem Caliſtum appellârunt. Frideri autem videns, ſe imparem Alexandro gitimo Papæ, tandem fraude Catholi rum animos ſibi benevolos reddere cog vit, & miſſo Babebergenſi Epiſcopo ad lexandrum, pacis conditiones obtulit, irrito eventu, quia Sedes Romana vu doloſæ non fidit.

Naſcitur S. Dominicus Calagoræ in H ſpaniâ ex nobili Guſmannorum famili matri ſuæ per quietem præfiguratus in c ne facem ardentem in ore geſtante, in ſig

num

num, quòd vitæ sanctitate esset Orbem illuminaturus, & prædicationis voce veluti latratu vigili hæreticos impugnaturus.

DECAS VIII.

Ab anno Christi 1170. ad 1180.

1171 CAusa mortis S. Thomæ excutitur ✲ Legatis Regum ac Principum piorum, ad accusandum Henricum & ab hoc aliis ad purgandum atque amoliendam à se mortis causam Romam transmissis. Eodem quoque anno idem Henricus fit Hiberniæ Dominus cum jure hæreditario, cui tamen cædes S. Thomæ plùs terroris, quàm incrementum regni voluptatis afferebat.

✲(1172.)✲ Alexander Papa excommunicat omnes necis S. Thomæ complices, & per Legatos in Angliâ examinari curat, causam & necis auctores, & conscios, cujus auctores convertuntur, ac demùm miserè pereunt, facti omnibus tam odiosi, ut etiam canes ab eis cibum sumere respuerent. Petitâ tamen veniâ jussi sunt in Palæstinam peregrinari, sed dum unus inter illos Consentiæ in Italiâ moras nectit, toto

corpore ita computruit, ut nervi ejus & ſa viderentur, & in auxilium S. Marty appellans inter dolores acerbiſſimos i riêrit. Reliqui in loco, quem monten grum vocant, juſſu Pontificis incluſi mum diem obiêre inter lacrymas, & dem donati ſepulturâ cum epigraphe, eorum ſcelus ac pœnitentiam innuere

Filius Henrici Angliæ Regis rebell patrem.

✲(1173.)✲ S. Thomas jam innum miraculis inſignis in numerum Sanctor refertur. Et Henricus à filiis ſuis He co, Richardo, Godefrido, ejuſque m Eleonorâ, & regni Proceribus, plen his faventibus, pluſquàm civili bello a titus ad Alexandrum confugit, ut Ecc fulmine hanc rebellionem inhiberet, & præſtitit.

✲(1174.)✲ Rex Henricus verè p tens ob mortem S. Thomæ in habitu peris, vili lacernâ & nudis pedibus S. T mæ tumulum adit, & petitâ publicè minis veniâ à ſingulis Epiſcopis aſtanti ſe quinquies cædendum à Monachis octoginta, & ter flagellis verberandum rat, omnibus ad talem adſpectum co crymantibus; quibus etiam placatum tim ſe Deus oſtendit. Henrici enim

stis capitalis Rex Scotus sine pugnâ venit in manus ejus, & compositi Cismarini & Transmarini bellici motus quievêre, reddita regno atque Regi tranquillitas.

✲(1175.)✲ Fridericus post obsessam quatuor mensibus Alexandriam obsidionem turpiter solvere cogitur, tantâ clade acceptâ, ut in fugam compelleretur.

✲(1176.)✲ Albigenses hæretici emergunt, & convincuntur, confutatique condemnantur.

Fridericus à Mediolanensibus victus tantâ clade affectus est, ut ipse pro mortuo comploratus sit, etiam uxore ejus lugubria assumente, jam enim per aliquot dies non comparuerat; Tandem Ticinum indigus omnium rerum pervenit. Et tunc seriò de pace cum Pontifice tractare decrevit.

✲(1177.)✲ Tandem inter Alexandrum & Fridericum Ænobarbam pax coalescit; quomodò hæc contracta sit, variant scriptores. Veneti scriptores ita referunt, Fridericum ingenti exercitu reparato in Italiam rediisse, & in eas angustias Pontificem compulisse, ut hic assumptâ sui coqui veste Venetias fugere compelleretur, ubi etiam hortulo S. Mariæ de charitate olitor præfuerit; Sed à Sebastiano Duce agnitus, à toto Senatu magno cum honore exceptus

sit. Cùm autem ab Imperatore armis et repeteretur Pontifex, non tantùm Fri ricus a Venetis victus, sed in eorum et urbem perductus, & accidens ad Alex dri pedes calcato collo hæc verba Ps Regii audiêrit: *Super aspidem & basiliscum bulabis, & conculcabis leonem & draco* Quibus Fridericus Rex reposuit, *Non sed Petro*: cui Pontifex, *Et mihi & Pe* Et hæc quidem certam apud Veneto dem etiam in tabulis obtinuerunt. Alii tem & plures melioris notæ scriptores dunt, Pontificem & Imperatorem ven pacificè Venetias, & ibi res suas amicè co posuisse, functumque ibi esse Friderici stratoris officio ergà Pontificem, atq non semel pedes ejus osculatum esse. J annes autem Anti-Papa ab omnibus e ctus & erro vagus de hac pace ingemuit.

Abissini ad Alexandrum Papam scribu & in Fide instrui petunt, litteris etiam *Presbyteri Jani* Abissinorum Imperatore exar tis ad Pontificem. Ab eo tempore Abiss ni Romæ utuntur Ecclesiâ S. Stepha Proto-Martyris, & ædibus adjacenti bus ex speciali S. Sedis privilegio & libe ralitate.

Pons Avenionensis super Rhodamum puerulo pastore miraculosè conficitur.

1178

✲(1178.)✲ Alexander Papa Romam gloriosè ingressus benignè recipit Anti-Papam *Joannem de Struma* veniam postulantem.

Hæretici Tolosenses convincuntur & excommunicantur. Præcipuus autem Petrus Moranus publicam agit pœnitentiam.

✲(1179.)✲ Celebratur sub Alexandro III. anno Pontificatûs ejus vigesimo Concilium Lateranense tertium, cui interfuerunt trecenti Episcopi; in hoc damnati hæretici Cathari, Publicani, Patharini, & aliis nominibus infamata fæx. In eodem Concilio Nectarius Græcorum schismaticorum Legatus, Abbas monasterii Casulorum in magnâ Græciâ post multas disputationes pervicax ad suos rediit, triumphantis more susceptus, quòd unus tot Patribus perfrictâ fronte restitisset.

Ludovicus VII. sepulchrum S. Thomæ Martyris in Angliâ invisit.

Alphonsus Dux Portugalliæ hoc anno Regis titulo augetur ob pietatem & fortitudinem eximiam contra Saracenos exhibitam.

✲(1180.)✲ Saladinus sive Soldanus Ægypti exercitum educit contra Hierosolymam, ideò in Occidente susceptа est expeditio

peditio, quam Alexander ante mortem
teris ſuis promovit. Huic nomen deder
Philippus & Henricus Reges, quos tan
plùs Manuel Imperator, quàm Soldan
formidavit.

Moritur Manuel aſſumpto Monachi
bitu, cui Alexius Comnenus Porphyro
nitus ſucceſſit.

HÆRESIS ALBIGENSIUM SIVE A
BIANORUM.

*HÆc Hæreſis ortum ſuum habuit circa
num Chriſti 1176. in Provincia Toloſa
& ita invaluit, licèt præſtantiſſimis quibus
Epiſcopis & S. Dominico, obnitentibus, ut ti
dem neceſſe fuerit armatâ manu hoc genus Zi
niorum exſcindere, primò manum admovit
Comite de* Monte forti *qui Comitantibus
tantùm aut novem hominum millibus cent
Albigenſium millia profligavit. Erat autem A
bigenſium doctrina majori ex parte fœtida M
nichæiſmi refricatio.*

1. *Docebant non teneri ſe fidem ſuam pr
teri.*

2. *Duo eſſe principia, unum bonum, ſcilic
Deum, alterum malum, ſcilicet diabolum.*

3. *Deum creare animas, diabolum autem
creare corpora.*

4. *Deum nullam animam novam infunder
ſed animas ex uno corpore in aliud tranſm
gra*

grare : etiam animas serpentum, aliorumque brutorum animantium.

5. *Non esse corporum resurrectionem.*

6. *Neque purgatorium neque infernum esse.*

7. *Defunctis nihil prodesse, quæ illis applicantur suffragia.*

8. *Nec legem Moysis, nec Prophetas, nec Psalmos, nec vetus testamentum, neque novi testamenti Doctores esse admittendos.*

9. *Jusjurandum omne esse nefarium.*

10. *Baptismum rejiciendum tanquàm supervacaneum.*

11. *Eucharistiam à malis Presbyteris non consecrari.*

12. *Corpus JESU Christi non esse aliter in Eucharistia, quàm in aliis rebus.*

13. *Peccata non esse Sacerdoti confitenda.*

14. *Malum Episcopum non esse Episcopum.*

15. *Actum conjugalem esse peccaminosum.*

16. *Inutile esse in Ecclesia orare Deum.*

17. *Novum testamentum benigno Deo, vetus verò maligno attribuendum esse, imò & hoc rejiciendum exceptis quibusdam ejus auctoritatibus, in novum testamentum insertis, quas ob novi reverentiam recipiendos esse asserebant.*

18. *Veteris testamenti auctorem esse mendacem & homicidam.*

19. *Omnes veteris testamenti Patres esse damnatos ; S. Joannem Baptistam esse unum ex dæmonibus.*

20. *Christum illum qui natus est in B*
leem terrestri & visibili, quique crucifixu
Hierosolymis esse malum.

21. *Mariam Magdalenam fuisse illius*
cubinam, & fuisse illam ipsam mulierem in
ulterio comprehensam de quà in Evangelio.

22. *Bonum Christum nunquàm com*
vel bibisse, nec veram carnem assumpsisse,
fuisse unquàm in hoc mundo nisi spiritualit
corpore Sancti Pauli.

23. *Esse aliam terram novam & invisi*
in qua bonus Christus natus sit & Crucifixus.

24. *Bonum Deum duas habere uxores C*
lant & Collibant, *atque ex ipsis filios &*
procreâsse.

25. *Communis ferè omnium error fuit*
manam Ecclesiam esse speluncam latronum,
esse meretricem illam de qua in Apocalypsi.

26. *Baptismi aquam ab aqua fluviali*
differre, neque Eucharistiam à pane Laico, t
tilem esse tum Confirmationem tum Confessio
& in matrimonio neminem salvari.

27. *Resurrectione abnegatâ dicebant om*
animas nostras, esse illos Spiritus Angelicos
per Superbiæ apostasiam præcipitati de cœlo, c
pora sua glorificata in aëre reliquerunt, & ip
animas post successivas qualiumcunque cor
rum serpentum & terrenorum inhabitatio
quasi tum modo pœnitentiâ peractâ ad illa reli
corpora remeare.

28. Error quoque specialis eorum fuit, qui inter eos dicebantur Perfecti, nigroque habitu induti castitatis observatores & mendacii osores videri volebant esum carnium, ovorum & casei omninò detestandum esse.

29. Fuerunt inter Albigenses qui dicebantur Credentes hæreticorum, qui licèt ad vitam Perfectorum imitandam non pertingerent in illorum tamen fide cui adhærebant se salvandos sperabant. Horum error proprius fuit, ad salutem non esse opus confessione, pœnitentiâ vel restitutione, ablatorum, dummodo in articulo mortis dicere possint Pater noster & manuum impositionem à suis magistris (erant hi magistri seu magistratus ex Perfectis hæreticis, quos Diaconos & Episcopos nominabant) reciperent. Unde securiùs & effrænatius ad usuras, rapinas, homicidia &c animam applicabant.

30. Fuit & alius error plurium ex eisdem hæreticis neminem posse peccare ab umbilico deorsum versùs.

31. Usum imaginum in Ecclesia esse idololatriam.

32. Ecclesiarum campanas vocabant tubas dæmonum.

33. Non peccare gravius qui miscetur carnaliter cum matre vel sorore quàm cum quavis alia.

34. Si Perfectorum illorum aliquis se peccato mor-

to mortifero coinquinaret, nempè minim
quid carnium, caſei, ovi & ſimilium qua
inhibita dicebant, comedendo, omnes eos qu
ille manum impoſuiſſet, Spiritum S. amiſſur
imò & ipſos ſalvatos ob manum imponentis p
catum de cœlo caſuros.

Et hi quidem præcipui errores Albigenſ
verè ſpuma Acherontis: cœterum quàm tu
& abominandum fuerit genus hæreticorum c
ligere licèt ex eo, quòd Toloſæ aliquis ex illi
odium JEſu Chriſti & Catholicæ fidei ventr
ſuum ad Eccleſiæ primarium altare exonerav
ſacriſque illius Altaris corporalibus ſuas ſor
adſperſerit: quid turpiùs? & quid impude
tiùs adhuc aliis quibusdam? qui collocata ſupe
Altare anteCrucifixum meretrice abuſi, & im
ſacram imaginem avulſerunt, & brachiis trun
catam, fune in collum injecto, per urbis platea
cum execrabilibus blaſphemiis traxerunt. Se
& illud Cocytum & ſtygis fœtorem olet, quod i
urbe Bituricenſi à Catholicis obſeſſi Sanctum
Evangelii volumen urinâ merſum & conſpu
catum ex mœnibus in Catholicos projecerint, ſa
gittaſque in illud ejaculantes exclamaverint:
Ecce lex veſtra miſeri. *Et tamen Calvinia*
nus Beza Albigenſes & Waldenſes copulans eo
in commune laudat. Propter teſtatiſſimam
vitæ Innocentiam. *Sic balſamum hircorum*
redolet in naribus Bezæ.

HÆ.

HÆRESIS WALDENSIUM WALDONIS DISCIPULORUM QUI ET PAUPERES DE LUGDUNO APPELLANTUR.

WAldo quidam Patriâ Lugdunensis opibus dives, relictis & inter pauperes distributis suis facultatibus paupertatem profitebatur, & eo speciosо pallio, quos spargebat errores contegebat: quanquàm enim Idiota totus esset, ubi tamen libros aliquos nonnullis scripturæ locis propositè intellectis conspersos sibi scribendos curavit, sibi Apostolorum munus arrogare, & concionatorem agere non erubuit. Secta hæc inchoata sub Alexandro III. & in concilio generali X. Lateranensi Generali III. condemnata est. Non tamen formidârunt nostrâ tempestate aliqui novatores hæc phlegmata Satanæ per Waldensium Cacochymum Stomachum evomita resorbere.

1. *Furebant contra cultum & Invocationem Sanctorum.*

2. *Dicebant Sanctos preces non audire.*

3. *Templa omnia subruenda & evertenda esse.*

4. *Salutationem Angelicam rejiciendam.*

5. *Ad Baptismum non esse adhibendam unctionem olei.*

6. *Confirmationem Sacramentum non esse.*

7. *Execrabantur auricularem peccatorum confessionem.* 8. *Ri-*

8. *Ridebant indulgentias tanquàm n*
valoris.

9. *Similiter Purgatorium & ſuffragia*
defunctis.

10. *Inter Sacerdotes & Epiſcopos n*
agnoſcebant diſcrimen.

11. *Eccleſiæ poteſtatem leges condendi n*
bant.

12. *Nihil ineſſe meriti in jejunio & a*
nentiâ certorum ciborum.

13. *Religioſorum mendicantium ordina*
venta eſſe diaboli.

14. *Liberum eſſe omnibus prædicare verb*
Dei, etiam invitis & prohibentibus ſuperiorib

15. *Laicos dummodò juſti ſint poſſe Je*
Chriſti corpus conſecrare.

16. *Mentiebantur extremam unctio*
non eſſe Sacramentum.

17. *Nullum quoque in Eccleſia fieri ver*
miraculum.

18. *Riſerunt exorciſmos Eccleſiæ & benedi*
ctiones omnes.

19. *Nihil ajebant prodeſſe animæ quòd c*
pus terræ ſanctæ mandetur.

20. *Ludibrio habebant cantum Eccleſiaſ*
cum, & horas Canonicas.

Et tales quoque viros Beza Calvinianus v
cat Veteris Chriſtianæ purioris Eccle
Semen.

Re

Referuntur & alii quidam particularium inter illos sectarum sequentes errores.

21. Waldensium error fuit nullum hominem perfectum debere manualem laborem exercere.

22. Nullam aliam precandi formulam esse admittendam præter Pater noster.

23. Consecrationem Eucharisticam fieri septenâ Orationis Dominicæ recitatione.

24. Eucharistiam plus habere efficaciæ si consecratio facta fuerit feriâ V. in cæna Domini.

25. Sacerdotes in peccatum grave prolapsos perdere potestatem consecrandi, similiter amitti temporales etiam potestates si magistratus in peccatum inciderit.

26. Non posse Ecclesiasticos agros & alias divitias possidere.

27. Defecisse Ecclesiam tempore sylvestri ut quantumcunque quis bonus & justus sit in ea amplius salviri nemo posset.

28. Symbolum Apostolorum contemnebant.

29. Jusjurandum omne Christianis prorsus illicitum dicebant.

30. Carnalem mixtionem licere cuilibet tunc, quando concupiscentia fervet.

31. Neminem posse morti adjudicari, nec posse ullum judicem etiam pessimo cuique pœnam injungere.

32. Insaniebant aliqui ex Waldensibus quemlibet illorum posse Corpus Christi consecrare modo

eo haberet Sandalia more Apostolorum, qu
Waldenses plerumque portare solebant.

HÆRESIS INSABBATATORUM

EX Waldensium factione fuerunt, eo nom
appellati, quòd qui inter illos erant pe
fectiores, aliquid in superiori parte calcei p
Sabbatam vocabant, portarent. Et hic
perfectiores Waldenses notâ perfectionis &
litatis in pedibus expressâ.

HÆRESIS CORRERIORUM SEU COTERELLORUM.

FUit hæc hæresis ramus putridi trunci Pet
Brussianorum, particulares sibi insuper
errores fabricans.

1. Beatam Virginem fuisse Angelum.

2. Corpus Christi non esse glorificatum
cœlo, sed post diem etiam judicii putridum ca
ver fore.

3. Animas Sanctorum non esse in gloriâ a
diem judicii.

DECAS IX.

Ab anno 1180. ad annum 1190.

1181. ALexander III. Papa moritur, cùm
Pontificatum gessisset magnâ cum
laude pietatis, humanitatis & constantiæ
annis 22. Surrogatur illi Hunibaldus Car-
dina

dinalis Lucensis, & postridie coronatur, diciturque Lucius III.

Ad hæc tempora sub Alexandro II. adhuc refertur à Baronio initium Ordinis Carmelitarum, qui Haimerico Patriarchâ Antiocheno promotore & propagatore, in Palæstinâ in ipso Carmelo monte, quondam S. Eliæ Prophetæ habitatione nobilitato, sedem fixisse perhibentur.

✲(1182.)✲ Maronitæ Gens Libanotis Syrorum in Phœnice Provincia habitans, cùm per quingentos annos cujusdam Monothelitæ Maronis nomine hæresin secuti essent, ad Patriarcham Antiochenum Haimericum accesserunt, & Fidei Catholicæ uniti sunt. Viri fortes & strenui, Latinis Orientalibus valde utiles contra Saracenos, quorum quadraginta millia armati se Christianis hoc anno conjunxerunt, suntque in hodiernum diem Romano Pontifici & Latinis addicti & fideles.

Nascitur Assisii S. Franciscus ex patre Bernardone mercatore, vir austerissimæ paupertatis, & Christipatientis tam sedulus imitator, ut eum non tantùm animo, sed & corpore utcúnque repræsentârit. Imago spirans Dei Crucifixi.

✲(1183.)✲ Andronicus Alexium pupillum suæ curæ commissum, & Imperii Ori-

Orientis hæredem laqueo suffocat, & perator creatur, atque teterrimam in tinos carnificinam exercet, quorum tissimi quique raptis & conscensis nabus aufugerunt, reliqui trucidati & combusti sine discrimine sexûs vel ætatis. In quos etiam S. Joannes Legatus Sum Pontificis cæsus est, & tractus cum ca turpiter ac contumeliosè per urbem. tini autem fugientes, ne inulti discederen omnia littora Mediterranei maris depop lati, Græcos omnes obvios trucidaverun & spoliis divites in Occidentem remig runt, Græcis multùm quidem, sed non tis acerbè castigatis.

Cives Romani insurgunt in Lucium P pam, quos Lucius, cùm armis non posset dicnariis & liberalitate placat.

Henricus Junior Rex Angliæ ex animi mœ rore, quòd patri nocere non posset, ver ùs percussus à Deo, quòd Ecclesiæ San cti Amatoris manus intulisset, moritur valdè religiosè: in cineres enim, sicut jus serat, fune tractus pœnitens exspiravit. Pater, quem videre postulaverat (sed is metu insidiarum accedere non ausus) ad ejus aspectum incidit in lipotimiam.

In agro Bituricensi septem millia hæreticorum Cotorellorum trucidati sunt, im-

immissis à Philippo rusticolis, quos bonis suis grassatores spoliaverant. Post hæc ne vestigium quidem Cotorellorum visum est. Erat hoc genus hominum capitaliter exosum Sacerdotes & Monachos, & scelerum omnium sentina.

✲(1184.)✲ Richardus Archi-Episcopus Cantuariensis terrore visionis moritur; audiêrat enim d lapidator iste bonorum Ecclesiasticorum Christum sibi terrificè intonantem: *Tu dissipâsti Ecclesiæ meæ bona, ego extirpabo te de terra.* Quibus ita exterrefactus, ut intra octiduum mortuus sit.

✲(1185.)✲ Orientales Christiani, periclitante ab incursionibus Saladini, Hierosolymitano regno missâ perhonorificâ Legatione ad diversos Europæ Principes ac Reges, petunt auxilia: expeditio quidem promissa est, sed non suscepta, quantumcunque necessitas rei Christianæ in Syriâ id postularet.

Moritur Veronæ Lucius III. cui statim suffectus est Lamberdus Archi-Episcopus Mediolanensis, dictus Urbanus III. Pontifex, qualem hoc tempus exigebat.

Græci & Siculi Guilielmo Siciliæ Rege injurias Latinis illatas ulciscente mutuis se damnis & injuriis vexant, & odium implacabile accendunt.

Ex-

Exauctoratus est hoc anno Andronic
ab Isacio Angelo, & ad eum in catenis
ductus expertus est atrociſſima quæque
Evulsa illi barba, excuſſi dentes, præſc
manus, ipse nudus scabioso camelo imp
situs per urbem traductus, omnium in
manus conversas vidit, nihil autem ali
locutus est ad Deum, nisi *Domine miser*
& ad populum, *quid calamum contritum*
fringitis? Postea turpiter & atrocitere
carnificatus inter tormenta interiit, & i
su Isacii insepultus abjectus est. Vir e
aliàs Catholicus, & optimè affectus in
postolum Paulum, qui ut æternùm esset
beatus, has jussus est à Deo pœnas tempo
rales pendere.

✲(1186.)✲ Urbanus Imperatorem
Fridericum de multis perperam contra ju
ra Ecclesiastica factis reprehendit & a
exemplum sui anteceſſoris negat viven
adhuc Patre Imperatoriam coronam fili
ejus imponere, cum id repugnet Imperi
duos simul Imperatores esse. Hisce com
motus Fridericus unà cum filio insurgi
contra Papam & Colonienſi Archi-Episco
po offert Supremam judicandi poteſtatem
Ecclesiasticam in Imperio ad schisma con
flandum. Qui tamen id fortiter recusavit
quod & alii Episcopi, consentu in Geil-hu-
sen

sen celebrato, renuerunt : Utiliora pro pace inter Pontificem & Imperatorem, quam de novo schismate decernentes.

Henricus Friderici filius eò insolentiæ jam processerat ut in Longobardia existens cum tertiâ vice Episcopum quendam interrogâsset, à quo Episcopalem investituram accepisset, isque tertia vice profiteretur à Pontifice, & non ab Imperatore hanc sibi dignitatem collatam esse, per servos eum pugnis contundi & per lutum raptari jusserit. Eodem anno Henricus uxorem duxit Constantiam filiam Rogerii Siculi Regis amitam tunc regnantis Guilielmi.

✲(1187.)✲ Christiani Orientales bis cum Saladino infeliciter confligunt, & Hierosolyma capitur 4. Kal. Octobris & Sancta Crux cum Guidone Hierosolymitano & plurimis civitatibus barbaris cedit, Crux fædè à Saladino tractata, templum profanatum & omnia ea facta, quæ iram Numinis traxissent in barbaros, nisi horum crimina minora fuissent quàm Christianorum. Et tunc pax inita Saladinum inter & Græcos, qui concessit Græcis omnes Ecclesias Palæstinæ, eâ lege, ut Latinus ritus prorsus ab iis excluderetur. Misit etiam Imperatori Græcorum Constantinopolim idolum suum ut ibidem publicè colendum

ex

exponeretur. Verùm, à Sanuensi id captum est in mari, & perductum T rum, quæ adhuc à Latinis Christianis p fidebatur.

Urbanus Papa tam tristi nuncio perc sus incidit in ægritudinem, ac diem su obit, eique fulmina anathematis, jam contra Henricum vibraturo, & quidem nimè profutura mors eripuit.

Urbano suffectus est Albertus Cardi lis Beneventanus dictus Gregorius VI qui statim ut Deum placaret & Orient bus rebus depositis provideret, jejuni quinquenale indixit, videlicet ut toto h tempore feriâ sextâ fideles omnes obire quadragesimale jejunium, feriâ verò qu tâ & Sabbato abstinerent à carne. Pon fex verò & Cardinales cum famulis su adderent feriam secundam, & qui sec facerent, cum iis tanquam trangressorib jejunii quadragesimalis procederetur, n si magna solemnitas festi aut infirmitas in terveniisset. Statuerunt quoq; Cardinal omnes abjectis omnibus deliciis mendican tes proficisci ad Crucem Christi prædican dum, ac turmas Crucigerorum præcederc Denique per septennium inter omnes Principes Christianos decreta pax, & in eos Dei ac Pontificis effusa maledictio

qu

qui paranda in Dei hoſtes arma contra fratres ſuos converterent.

Gregorius VIII. poſthæc nondum duobus menſibus in Pontificatu peractis, Piſis moritur, onus hoc tanti belli aliorum humeris relinquens.

✲(1188.)✲ Gregorio ſucceſſor datur Paulinus Cardinalis Prænestinus, dictus Clemens III. qui ſtatim Cruciferis omnium peccatorum indulgentiam conceſſit, & edixit, ut pro expeditione belli ſancti per totam Eccleſiam preces funderentur. Et hortatu Pontificis Reges Franciæ & Angliæ Philippus & Henricus, & alter Philippus Comes Flandriæ cum ſuis Proceribus Cruces aſſumpſerunt: Francus purpureas, Anglus albas, & Flander virides. Decimæ quoque omnibus præterquàm iis, qui expeditionem comitabantur, injunctæ, quæ, quòd inopes & Eccleſias gravarent, à multis, atque etiam viro præſtantiſſimo Petro Bleſenſi improbatæ ſunt.

Fridericus quoque Imperator acceptâ Cruce de manu Henrici Cardinalis Albanenſis Deo, Eccleſiæ, & Pontifici ſe reconciliavit, & ad Saladinum Principem Saracenorum ſcripſit litteras, præfigens ei terminum à Kalendis Novembris uſque ad revolutum anni circulum, quo niſi Terræ

ſanctæ poſſeſſionem Chriſtianis reſt
ret, prælium ei indixit in campo Tane
virtute vivificæ Crucis. His litteris
dinus poſtmodùm reddidit alias thra
cas, & minaci ferocitate conſcriptas.

Turbavit nonnihil bellum ſacrum
chardus Angliæ Regis primogenitus r
lis in patrem, & ideò anathemate pe
ſus à Legato Pontificio.

Ventilatur in Galliâ quæſtio de mut
ne aquæ in calice cum vino permiſce
& refertur magnum miraculum ad
rem confirmandam in Thuringiâ fac

✲(1189.)✲ Moritur interim Hen
ſenior Rex Angliæ, eiqúe Richardus
ſuccedit, qui mox contra Philippum
gem Franciæ bellum movet: & dum
glus & Francus inter ſe diſceptant, Fr
ricus Imperator cum 150. millibus ar
torum partim terreſtri, partim mari
itinere in Orientem movet.

✲(1190.)✲ Philippus Galliæ, & Ric
dus Angliæ Reges compoſitis inter ſe
cúnque rebus, ipſi quoque in Orient
movent, ſed tempeſtate conjecti in Sic
am, in eâ hyemare coguntur.

Fridericus autem Imperator magn
itinerum difficultatibus ſuperatis ob Iſa
Angeli inconſtantiam non niſi hoc an
p

pervenit in Thraciam; ubi & à Græcis multa passus est mala, & multa reposuit. Eorum causa præcipua fuit Dositheus Monachus, per quem Anglus à Friderico abalienatus est, & in præmium sparsæ de Friderico calumniæ, Antistes factus est Constantinopolitanus.

Fridericus Sultanum stipatum quadringentis equitum millibus cum sexcentis tantùm equitibus juxta Iconium aggressus vincit operâ S. Georgii, qui sæpe visus est sublimis equo Germanos præcedere, cùm eorum equi fermè omnes pabulo deficiente interiissent. Iconium etiam à Duce Sveviæ mirabiliter captum, & iterum à Friderico fugata equitum ducenta millia: sed mors ejus inexpectata harum victoriarum cursum abrupit. Cùm enim Fridericus post prandium in fluvio Calycadno sive Calydno in minore Armenia nando se recreare vellet, casu inopinato & deplorando submersus est, & non solùm in Oriente & Occidente Christianis Catholicis, sed etiam ipsis Græcis æmulis suis luctum attulit, & fluvio huic reliquit triste nomen *Salepho* sive *Ferri*. quòd in ferreo hoc fluvio res Christianorum cum Imperatore haustæ interiissent. Collegit quidem Conradus Dux Sveviæ exercitum Imperatoris, sed

ibi etiam in obsidione Ptolemaidis m
ens spes Christianorum morte suâ succ

DECAS X.

Ab anno Christi 1190. ad 120

1191. HEnricus filius Friderici subm
in minore Armeniâ à Clem
Imperium postulat & obtinet.

Clemens Papa obit, & in ejus locum
ficitur Hyacinthus Cardinalis, dictus
lestinus III, à quo Henricus mox co
Imperii insignitur.

Philippus & Richardus Reges in Pal
nam appellunt, & Ptolemaidem exp
gnant; parùm verò inter se Angli
Gallis convenientibus Philippus R
redit Romam, & absolutionem à voto
integrè adimpleto impetrat. Richard
autem sæpé cum Saladino feliciter pugn
Nihilominùs obortis inter Christianos
cordiis fœdus cum Saladino ad trienni
init, & Rege Hierosolymorum constitu
Henrico nepote suo, Conrado autem e
competitore cæso, solvit Ptolemaide,
naufragium in sinu Adriatico passus c
paucis in terram enatat, & inde mutatâ

te per Germaniam redire cogitat in Angliam: agnitus autem à Leopoldo Austriæ Duce, ei privatim multis de causis infesto, propè Viennam capitur, & ad Henricum Imperatorem mittitur, è cujus manu difficulter extractus est.

✲(1192.)✲ S. Ubaldus Eugubinus Episcopus Catalogo Sanctorum adscribitur, & Ordo Teutonicus instituitur.

✲(1193.)✲ Henricus Imperator crudeliter in Siculos & Salernitanos desævit, & Rogerium filium Tancredi jam coronandum excæcat: puellas cum matre custodiæ committit, aliaque crudelitatis facinora edit, & Siciliam ferè totam diripit.

Cœlestinus Papa præmissis denunciationibus Leopoldum Austriæ Ducem ob captum Richardum Angliæ Regem excommunicat, idemque comminatus est Henrico, nisi eundem Regem libertati restituat.

✲(1194.)✲ Richardus Rex restituitur libertati ab Henrico Imperatore, & matri Eleonoræ ab Archi-Episcopis Moguntino & Colonienſi traditur.

✲(1195.)✲ Discordiâ inter Saladini filios exortâ, spes iterùm oritur Palæstinæ recipiendæ, si modò Christiani inter se concordes fuissent. Sed irrita omnia, peccatis Christianorum impedientibus.

Alexius Comnenus Isacium Comnen
solio dejicit, & in carcerem detrudit,
Orientale Regnum usurpans.

Cœlestinus Pontifex Leopoldum, ex
tam à Richardo injustè pecuniam resti
re recusantem, anathemate percellit: se
omnis ejus ditio gravissimis mox malis
luvionibus, peste, incendiis, & sterili
punita, & ipse Leopoldus, tibiâ viole
casu fractâ, mox toto rescisso pede tru
ri debùit: imò in totum corpus lue per
dente ab Episcopis absolutus, inter dol
expiravit. Ejus autem corpus diù ja
inhumatum, ut vermibus scateret, q
filius ejus pecuniam restituere negaba
quod tandem præstitit. Tam misera
Leopoldi exitu permotus Henricus Im
rator, qui simili anathemate tactus fuer
pecuniam omnem extortam Richardo
stituit.

☆(1196.)☆ Henricus Imperator,
prætextu expeditionis in Terram sanct
venit cum exercitu in Italiam, & sævit
Nortmannos, & eos præcipuè, qui ali
à se Regem elegissent, quorum nonnu
diademata clavis capiti affixit, alios ali
crudelibus modis sustulit. Uxor aut
ejus Constantia ex Nortmannis orta, ge
tem suam educto contra maritum exerc

à tyrannide tandem liberavit, marito in fugam conjecto.

✲(1197.)✲ Constantia uxor Henrici Imperatoris cogit armatâ manu maritum ad pacem ineundam cum Nortmannis. Henricus autem, quia classe tunc potens erat, à Græcis tributum extorquet, & accipit Constantinopoli ab Alexio Angelo transmissa auri talenta sedecim: & illud quidem tributum dictum est Alemannicum, ægrè repertum à Græcis, expilatis Ecclesiis & cœnobiis, atque etiam sepulchris refossis. Sed utì violentum tributum hoc fuit, sic etiam breve & tantùm unius anni. Henricus enim hoc anno obiît Messanæ, quem Pontifex sepeliri vetuit, nisi ex consensu Regis Angliæ, tanquàm excommunicatum ob pecuniam iniquè extortam. Verùm jam ante mortem pecuniam ad Richardum præmiserat; & moriens testamentum valde pium condidit, reddiditque Pontifici, quæ ejus juris erant. Cœlestinus ergò regnum Siciliæ ejus filio dedit, acceptis duobus millibus marcharum argenti.

Classis Henrici Imperatoris appulit Ptolemaidem sub Conrado Hildesheimensi Episcopo Imperatoris Cancellario: sed audito adventu filii Saladini, & Henrici morte, exercitus turpiter dilapsus est, quan-

quàm mox pugnaturus, aliquibus tan remanentibus, inter quos erat Archi-E ſcopus Moguntinus, Cardinalis Epiſco Sabinenſis, ad coronandum Armeniæ gem miſſus, cujus operâ idem Rex c Principe Antiochiæ reconciliatus eſt.

Principes Imperii rejecto Friderico lio Imperatoris Henrici adhuc impube diſcordant inter ſe, & pars una eorum git Philippum Ducem Sveviæ, pars alt Ottonem Ducem Saxoniæ.

✲(1198.)✲ Cœleſtinus III. Papa m bo & ſenio extinguitur, & eodem ad die in Pontificem eligitur Lotharius A guninus, Diaconus Cardinalis annorum 37. dictus Innocentius III.

Circa hæc tempora florent varii Ordi militares: in Hiſpaniâ *S. Jacobi & Calat næ*, Ordines SS. Trinitatis & redemptio captivorum, item Hoſpitaliariorum S. Sp ritûs, qui ab Innocentio approbantur. P tant aliqui Ordinem quoque Teutonicu jam ante aliquot annos inſtitutum, nun modò approbatum eſſe à Cœleſtino III uti rogârat Henricus Imperator: fuitque Ordo hic magni, primò in Oriente, ac de inde etiam in Occidente nominis & fortitudinis.

Huc

Hucusque produxit Baronius in limine vitæ constitutus tomũ suum XII. Annalium Ecclesiasticorum, quos eruditissimi viri, & omni exceptione majores *Ecclesiæ Propugnaculum* appellârunt: ut frustrà omninò allatrent Scioli quidam & heterodoxi, qui minùs eis nocebunt, quàm canis allatrans lunam. Hìc igitur illustrissimum Ecclesiæ sidus, pietate & eruditione eximius, S. R. E. Cardinalis, Sacrosanctæ Apostolicæ Sedis Bibliothecarius, anno ætatis suæ LXIX. per octo menses jam inchoato, anno autem à Christo nato M. DC. VII. scribendi & vivendi finem fecit, mercedem non aliam reposcens, nec uberiorem recepturus, quàm Jesum Christum, ad quem jam jam moriturus, & porrectum à

cœlo præmium comprehen
rus, his se verbis excitavit, Chr
sti Crucifixi imaginem intuitu
Ecce nunc tempus exultationis
lætitiæ! moriamur.

Quæ sequuntur, ex limpid
& amplis historiarum fontib
hausta à Bzovio, Spondano, G
alterio, Prietio & aliis, hìc vel
in parvis phialis delibanda pr
pinantur.

✲(1199.)✲ Richardus Rex Angliæ p
ctis cum Rege Francorum induciis qui
quennalibus excurrit in Aquitaniam, & fa
gittâ ictus perit, succedente in regno fr
tre ejus Comite Moretonio.

Alexius Angelus duplici periculo vit
monetur vitæ emendationem, sed non e
mendatur. Primò terra in immensam vo
raginem juxta ejus cubile dehiscebat, qui
multi vorati sunt, & ægrè ipse evasit. Se
cundò turbine deprehensa in mari tota e
jus familia, quò se contulerat animi rela
xandi gratiâ, vix ad littus appulit. His om
nibus admonitus est à Deo & à Pontifice,
neque tamen melior evasit.

1200.

✻(1200.)✻ Otto & Philippus Reges Germaniæ inter se digladiantes, Germaniam vastant. Innocentius Papa utriusque controversiâ auditâ Imperium Ottoni adjudicat. Unde magnæ lites coortæ, magno damno Imperii & religionis.

S. Hugo Lincolnienſis Epiſcopus, quondam Carthuſianus ſanctè moritur, &, feretro humeros ſupponentibus Regibus Angliæ & Scotiæ cum Proceribus, ſepelitur; ſic quibus vivus metuendus, eiſdem mortuus colendus videbatur.

HÆRESIS JOACHIMI ABBATIS.

Diffamatum eſt nomen ejus tempore Cœleſtini III. duplici ex cauſâ: primò vaticinationem profeſſus eſt, & ut gloriam inanem aucuparetur, omnes ſuos libros prognoſticis ab ipſâ experientiâ mendacii convictis adſperſit. Inter alias fabulas triplicem hominis ſtatum adſtruebat: primò carnalem ab Adamo ad Chriſtum, ſecundò ſtatum intermedium à Chriſto Domino uſque ad S. Benedictum; tertiò Spiritualem à S. Benedicto uſque ad finem ſæculi. Ad hos tres ſtatus tres hominum ordines, Conjugatorum, Clericorum, & Monachorum reduxit, dixitq; Conjugatorum ordinem initium ſumpſiſſe ab Adamo, & fructum tuliſſe uſq; ad Abrahamum; Sacerdotalem inchoatum eſſe ab Ozia, qui thus Deo obtulit, & fructum ferre cœpiſſe à JESU Chri-

sto Rege & Sacerdote: Ordinis Monastici p
mordia fuisse à S. Benedicto, fructuosum auc
esse cœpisse tempore ipsius Joachimi Abbatis; a
firmabat in primo quidem statu datam esse leg
carnalem, in sæculo verò legem spiritualem, s
licet Evangelium, quod tamen ajebat ab Apos
lis prædicatum fuisse non secundùm spiritual
sensum, sed tantùm secundùm sensum litteral
in tertio deniq; prædicatum iri secundùm sens
spiritualem, idque à Monachis S. Benedicti.

Docuit prætereà in sanctissimo Trinitatis M
sterio essentiam generare essentiam, in libro, qu
scripsit contra Petrum Lombardum Magistru
sententiarum.

HÆRESIS PETRI JOANNIS PRO GENITORIS PETRO-JOHANNITARUM.

JOachimi defuncti errores defendit Petrus Jo
annes, & ideò post mortem ex terrâ sacr
exhumatus est tanquam hæreticus, & igni tra
ditus. Negabat prætereà animam rationalem
esse formam corporis humani, saltèm quà ratio
nalem.

Docebat Apostolos non prædicâsse Evangeli
um secundùm sensum spiritualem, sed tantùm
secundùm litteralem.

In Baptismo neq; gratiam, neq; virtutes Theologicas infundi.

Christum JEsum lanceâ perforatum esse, cùm adhuc viveret.

Babylonis magnæ meretricis nomine intelligendam esse Romanam Ecclesiam, quam vocitabat Ecclesiam carnalem, bestiam, Sathanæ synagogam.

Antichristum mysticè interpretabatur Papam.

SÆCULUM DECIMUM TERTIUM,

Continens res in Eccles memorabiles, quæ contigerun ab anno 1200. ad annum Christi 1300.

DECAS I.

✽ Ab anno Christi 1200. ad 1210. ✽

1201. ✽ PHilippus recipit legitimam si am uxorem Engelbertam, qu repudiatâ Agnetem duxerat ideóque interdictum, cui Franciæ regnum subjectum fuerat, ab innocentio iterum solvitur, suscepti tamen liberi ex Agnete Philippus & Joanna legitimi declarantur, quia aliqui Episcopi tale conjugium probârant.

Expeditio suscipitur in Palæstinam cum magno exercitu Cruce signatorum, cujus præcipui Duces fuerunt Balduinus Flandriæ

driæ Comes, Bonifacius Marchio Montisferrati, Henricus frater Balduini, Hugo sive Henricus S. Pauli, Simon Monfortius, Ludovicus Blesensis. In transitu suo plurimum Venetos juvant in recuperandis urbibus Dalmatiæ. Alexius quoque quindecim annorum adolescens ad eos accessit ad Jaderam. Erat ille Alexius filius Isacii Angeli Imperatoris, quem frater Alexius excæcârat, quique confugerat ad Philippum Svevum. Hic ergò mira pollicitus, & inter cœtera Ecclesiæ Græcæ cum Latinâ reconciliationem, si eorum armis potiretur Imperio. His pollicitationibus Occidentales induxit ad conditionem acceptandam, tanquàm valdè utilem & necessariam ad Syriacam expeditionem.

✲(1202.)✲ Bello inter Philippum Svevum & Ottocharum Bohemum exardescente Germania turbatur, sed & Gallia ardere incipit Brittannico bello immisso per Philippum Augustum adversùs Joannem Angliæ Regem.

Tartarorum nomen primò circa hæc tempora innotescit.

Ingens terræ motus concutit Syriam & Tyrum, & omnes maritimas urbes labefactat.

✲(1203.)✲ Constantinopolis à Cruce signa-

signatis & Francis capitur, & à Venetis h
sula Creta. Habebant autem Veneti nav
150. Cruce signatorum autem viginti p
ditum millia, & equitum octo millia, q
Græcos sæpè vicerunt, licèt equitum sex
ginta millia, & peditum innumerabiles c
pias opponerent. Captâ per vim Const
tinopoli, & Alexio Angelo fugato, Isaci
excæcatus è carcere educitur, & Alexi
ejus filius unà cum patre Imperator acc
matur.

✠(1204.)✠ Dum Constantinopolit
militibus sacræ expeditionis stipendi
promissa solvere aut nollent, aut non po
sent, seditione ortâ alium Imperatorem
eligunt, Ducam Alexium cognomen
Murzuphilum dictum qui mox juniore
Alexium strangulat, (dum Isacius jam exp
râsset, ut putatur, veneno potatus) & mi
tit qui classem Latinorum exurant. Sed
Franci ac Veneti arctiori inito fœdere
Constantinopolim invadunt, & intra oct
duum die 12 Aprilis capiunt, Ducâ pe
fugam elapso, qui postea deprehensus i
Græcia & Constantinopolim in judicium
adductus ob Alexium necatum de altissim
columnâ præcipitatus est, deinde cum
Principum & Cruce signatorum Ducum
consensu Balduinus Flander Imperator

Con-

Constantinopolitanus eligitur & coronatur, aliique Principes diversas provincias inter se dividunt, & è nobilitate Venetâ Thomas Maurocenus Patriarcha creatur Latinorum primus.

A Græcis autem eodem tempore Theodorus Lascaris Nicææ salutatur Imperator, qui extra Constantinopolim regnavit. Alexius quoque ac Michaël Comneni ex familiâ Angelorum superstites alias sibi provincias occupaverunt, & sic conditum est novum Imperium Trapezuntinum, complectens Cappadociam, Colchidem & Pontum, atque hoc modo Imperium Orientale divisum est in Europæum & Asiaticum.

Eodem hoc anno Calo Joannes Rex Bulgarorum à Legato Pontificio coronatur, sed tantùm ille postmodùm Latinis obfuit, quantùm profuturus sperabatur.

Ad hunc annum aliqui referunt institutionem Ordinis celeberrimi S. Dominici.

Suos quoque errores patefecit Almaricus Doctor Parisiensis, & patriâ Carnotensis, multarum pravarum opinionum auctor, damnatus ab Innocentio Papâ, cujus sequaces cum ejusdem effossis ossibus Lutetiæ posteà combusti sunt.

HÆRESIS ALMARICI SIVE AMORRICI.

1. *ABerravit in eo, quòd diceret in statu innocentiæ, si Adam non peccâsset, nullam liberorum procreationem futuram fuisse, nullam carnalem commixtionem, adeòque nec sexuum distinctionem.*

2. *Beatos nullo modo videre Deum in se ipso, sed tantùm in creaturis, sicut lumen in aëre.*

3. *Non esse corporum resurrectionem.*

4. *Neque paradisum, neque infernum esse, & illum habere in se paradisum, qui Dei notitiâ præditus est, illum verò, qui peccato lethifero se contaminavit, habere in se infernum, vel dentem in ore putridum.*

5. *JESU Christi Corpus non aliter in pane Eucharistico existere, quàm in alio pane, imò quàm in aliâ quâlibet re, & nullam esse prorsùs transubstantiationem.*

6. *Sanctorum invocationem dicebat idololatriam esse.*

7. *Ideas, quæ in mente Divinâ insunt, posse esse creatas.*

8. *Hominis contemplativi vel beati mentem perdere suum esse in proprio (ùt Theologi loquuntur) genere, & redire in illud esse ideale, quod habuit in mente Divinâ.*

9. *Quod aliàs peccatum est mortiferum, si in charitate fiat, non esse peccatum, ajebat Almaricus, impunitatem peccatorum promittens.*

HÆ-

HÆRESIS DAVIDIS DINANTII.

Sectarius hic fuit Almarici, & illius errores suâ auxit phreneſi errandi, dum aſſeruit, Deum eſſe materiam primam, qui error ſummè repugnat Divinæ eſſentiæ puritati, & ſimplicitati, omnique perfectioni Divinæ.

✲(1205.)✲ Dum Balduinus Imperator Adrianopolim obſidet, eundem cum Bulgaris ſuis aggreditur Calo Joannes, cui Balduinus fortiter reſiſtit: dum verò hoſtes ardentiùs inſequitur, in paratas inſidias decidens capitur, & utì Græci ſcribunt cruribus Brachiisque truncatus in vallem projectus, ibidem triduo poſt expiravit, volucribus & feris relicta præda.

Approbatur Ordo Eremitarum S. Auguſtini.

Almericus Rex Cypri atque Hieroſolymæ moritur Ptolemaide, ex nimio auratarum eſu, ubi hic piſcis & magnus, & exquiſiti ſaporis eſt. Paulò pòſt obiît quoque filius ejus, Almericus adhuc puer, & mater Iſabella. Quare Mariæ filiæ quæſitus gener, ſelectus eſt, à Philippo Joannes Brennenſis Comes qui hoc regnum dotale accepit.

Albertus Epiſcopus Rigenſis inſtituit equites Livonicos, qui dicuntur militia Chriſti, & Cruciferi, aſſutis duobus gladiis

diis

diis decussatis ad suas vestes. Primus e rum Magister fuit Vinno; hi posteà eq tibus Teutonicis juncti egregiam septe trionali Ecclesiæ operam navârunt.

✲(1206.)✲ Henricus frater Baldui creatur Imperator Constantinopolitan qui mox Walachos & Scythas Hadrian polim tentantes fortiter retrudit. Bon facius autem Montisferrati Marchio du fortiùs quàm cautiùs pugnat contra Bu garos, vitam & caput perdit, quod resci sum ad Calo Joannem delatum ferocia ejus magno gaudio perfudit.

S. Franciscus Assisiis omnibus paterni bonis renunciat.

Græci in Asiâ Patriarcham eligunt Mi chaëlem Autorianum in locum Joannis Ca materi defuncti, cum Constantinopoli se deret Maurocenus Latinus.

✲(1207.)✲ In Poloniâ Ladislaus à sui regno privatur, & Lescus legitimus hæres substituitur.

Inter Ottonem & Philippum Germaniæ Reges de Imperio concertantes, operâ Innocentii Papæ pax eâ conditione per Germaniæ Principes firmatur, ut Otto Im peratoris titulo abstineat, & filiam Philippi Beatricem ducens, mortuo Philippo, in Im perio succedat.

1208.

✲(1208.)✲ Philippus Imperator cum post venæ sectionem in lecto conquiesceret, sceleratè occiditur Barmbergæ ab Ottone Palatino Witelspachii, cui Philippus olim filiam suam desponderat, necdum tamen tradiderat, quòd is cædis cujusdam reus & perfidiâ notatus fuisset. Itaque ex pacto inito Otto Saxo Philippi gener Principum consensu in Imperatorem eligitur ejus nominis quintum.

Ordo SS. Trinitatis pro redemptione captivorum inchoatur Romæ à Joanne Mattha, ac Felice anachoreta.

Anglia interdicto subjicitur, & Comes Tolosanus ob hæresin Albigensium, & propter cæsum Petrum de Castro Novo primum inquisitorem excommunicatur. Sed cum hanc ille ejurâsset factus publicè pœnitens, & flagellis cæsus, Ecclesiæ restitutus est, in quâ Princeps sceleratus non remansit, mox iterum eiiciendus.

S. Franciscus cum duodecim sociis Ordinis sui fundamenta jacit anno ætatis suæ duodecimo.

✲(1209.)✲ Otto IV. Romæ coronatur Imperator ab Innocentio Papâ. Sed Româ egressus mox contra datam fidem, bona Ecclesiæ invadit, & aliquot urbes occupat, sicut & Friderici Siculi, quasi Imperio

perio consulturus, sed re ipsâ hac iniq- tate concussurus.

Innocentius Papa, annuente Philip- Francorum Rege armari curat & Cruce- nari multa hominum millia contra hær- cos Albigenses, & Duces hujus expediti- nis constituuntur Dux Burgundiæ & C- mites S. Pauli Niveonensis & Monfort- Prima victoria capta Biterræ in festo MariæMagdalenæ, quam isti scelerati co- cubinam Christi appellabant, urbs incen- & cæsa promiscuè civium ad 70. mill- Mox se dedidit Carcossona, cujus cives e- missi nudi cum solo linteo. Reliquo bel- conficiendo præpositus est Simon Mont- fortius ex sanguine regio (erat enim Ro- berti Regis filius nothus) vir probatæ vi- tutis & pietatis.

Comes Tolosanus & Princeps Flussat- um iterum deficiunt ad Albigenses.

✠(1210.)✠ Henricus Imperator Con- stantinopolitanus Græcos in Latinos sæ- vientes fortiter compescit: quos inter pri- mas tenebat Michaël Comnenus Angelus Epiri Princeps, cui etiam Latini milita- bant auri, quàm Dei & religionis amantio- res.

Simon Montfortius fortiter & felicitèr rem agit contra Albigenses.

Otto

Otto Imperator dum Regnum Neapolitanum eripere juniori Friderico, adhuc sub Pontificis tutela constituto, & totam sibi Italiam subjicere tentat, post iteratas admonitiones excomunicatur. Unde Germaniæ Principes in Imperatorem eligunt eundem Fridericum Henrici quinti Imperatoris filium, ex Constantia Regina Siciliæ jam vivente Patre adhuc puerulum Regem Romanorum renunciatum.

DECAS II.

Ab anno 1210. ad annum 1220.

1211. JOannes Angliæ Rex, ob Ecclesiastica bona direpta, & clericos exagitatos excommunicatur & quia excommunicationem contemnit ab Innocentio Papa tota Anglia interdicto subjicitur, & Rex indignus regno declaratur in cujus locum Philippus Augustus substituitur Anglis expulsis ab hæretico rege passim ad eum confugientes, maximè Clericis, in quos apostata furorem convertit.

Rex Colchidis Christianus, uti & Suldanus Ægypti favent Christianis in Oriente, unde Terra sancta aliquantùm respirat.

Fridericus Rex Siciliæ itineribus occultis

tis venit in Germaniam,& Constantiam i
gressus honorificè excipitur.

Simon Montfortius bello prosequitu
Comitem Tolosanum Albigensium fau
rem, & obsidet Tolosam, sed deserere c
gitur, & vicissim à Tolosano Comite
Raymundo Rogerio Fuxensi, & Gasto
Benehusnensi in arce Castro novo à centu
millibus armatorum obsidetur, sed po
tus mox egregiâ victoriâ Comitem To
sanum omni suâ ditione expoliat, exce
tâ Tolosâ & monte Albano. Itaque r
ser Comes ad Petrum Arragoniæ Rege
confugere coactus est.

✲(1212.)✲ Tartari victo Indorum Re
ge cui ante serviebant totam fere Assyri
am & Mesopotamiam depopulantur, à
à Polonis contra Russos evocati auxiliato
res tum his, tum illis magnam cladem in
ferunt. Tres Reges Catholici, nempè Al
phonsus IX. Castellæ, Petrus II. Arrago
niæ, & Sancius Rex Navarræ ope S. Cru
cis inauditam victoriam reportant, deside
ratis solùm 25. Christianis, & cæsis ac fu
gatis ducentis millibus Saracenorum
cum Miramoline Machomete suo. Victo
ria hæc adscripta est tam S. Cruci, ac ima
gini B.Mariæ V. quàm etiam militum pie
tati, qui se meliùs Eucharistiâ tectos, quam
armis crediderunt. 1213.

✠(1213.)✠ Pueri diversæ ætatis & conditionis per Germaniam & Galliam piis cujusdam adolescentis cantilenis exciti congregantur ad reparandam Crucem Domini; nec potuerunt retineri, quin se itineri committentes plerique; variis modis periêrint, vel cæsi aut venditi à Saracenis, ita ut pauci ad sua reversi sint.

Fridericus Junior Aquisgrani in Regem Romanorum coronatur, qui Ottonis fautores in Italiâ reprimit.

Comes Montfortius cum 1800. suorum centum millia Albigensium hæreticorum fugat & profligat. In quâ pugnâ etiam Petrus Arragoniæ, qui Tolosano Comiti subsidio venerat, suorum viginti millia, & vitam simul amisit.

Philippus Augustus receptâ uxore suâ Engelbertâ post viginti annos dissensionis Anglicanam expeditionem suscipit, multis navibus paratis. Eâ expeditione territus Joannes Coronam capiti suo detractam tradit Legato Pontificis: qui modis omnibus hoc bellum abrumpere conatus est, sed nihil profecit. Conversum est tamen bellum in Flandriam, & illa facta est Francici juris.

✠(1214.)✠ Balduinus Raymundi Tolosani frater captus ab amicis perfidiosè

cùm dormiret, traditur fratri, & mani
Comitis Fuxensis è nuce suspenditur, m
tyrio suo, ejusque causâ omnem lethi
pitudinem absterſit.

Committitur prælium memorabile
Bovinas prope Tornacum Gallos inte
Anglos, ac Ottonem, qui se pro Impe
tore gerebat, & his opem tulerat, vi
riâ autem penes Philippum & Gallos f
te. Otto hac pugnâ viribus prorsùs a
tus est, ita ut aquilâ relictâ fugeret, &
ter Regis Angliæ caperetur cum plur
aliis Proceribus, & eodem tempore Lu
vicus Philippi filius Anglos in Aquit
fudit; quare in angustias redacti Angli
cem petunt, & tandem operâ Legati Po
tificii quinquennales inducias impetr

Celebratur Concilium Mompessulan
à quinque Galliarum Archi-Episcopis,
viginti octo Episcopis, in quo Com
Montfortius constituitur Princeps ter
per Albigensium hæreticorum expugn
tionem acquisitæ.

✲(1215.)✲ Celebratur Concilium L
teranense, cui cum Innocentio Papâ inte
fuerunt Archi-Episcopi 70, Episcopi 40
Abbates 12, Priores Conventuum &c
quos inter extiterunt Patriarchæ Constan
tinopolitani & Hierosolymitani, Alexan
dri

drini & Antiocheni Legati, itemque Oratores Imperatorum Orientis & Occidentis, & Regum Galliæ, Hiſpaniæ, Angliæ, Hieroſolymitani & Cypri. In hoc Concilio actum de expeditione in Terram ſanctam, de hæreſum novarum damnatione, de confirmatione Simonis Montfortii in Comitatu Toloſano; item certus habitus Judæis aſſignatus.

In Hungariâ incipit Ordo Fratrum Eremitarum ex inſtituto S. Pauli Eremitæ à B. Euſebio Strigonienſi Canonico inſtitutus.

Naſcitur S. Ludovicus, poſteà Rex Francorum ex Blancâ matre, à quâ cum lacte pietatem imbibit.

✲(1216.)✲ Ludovicus Francorum Regis filius nobilium Angliæ promiſſionibus & ſvaſu inductus trajicit in Angliam, & Rex quidem ſalutatur, Pontificis Legato pro viribus obnitente, ſed paulò pòſt Joanne Rege vel mœrore, vel morbo decedente, iidem contra fidem datam adhærent Henrico III. Joannis filio, quem & Regem coronârunt, Ludovico in Galliam revertente.

Innocentius III. Pergiſii è vitâ diſcedit, cùm ſediſſet annos 18. cui ſubrogatur biduo poſt Cuntius, ſive Centius Sabellus Romanus, dictus Honorius III.

Eodem anno deceſſit Henricus Impera-

tor Constantinopolitanus, cui successit P
trus Antisidorensis ejus gener Princep
sanguine regio, in Oriente & Occide
notissimus, qui Romæ in basilicâ S. L
rentii coronatus est.

Honorius confirmat Ordinem Prædi
torum, & auget concesso S. Palatii m
sterio. Confirmat quoque Ordinem
Franciscí, & uterque Ordo in multas P
vincias propagatus aliam faciem indu
Christianitati.

✲(1217.)✲ Henricus I. Rex Caste
cum pueris æqualibus ludens in areâ,
gulæ ictu fortè decidentis percussus mo
tur, & in ejus locum substituitur soror
ex RegeLegionensi filius Ferdinandus h
jus nominis III.

Exercitus Christianorum in Palæstin
per Venetorum triremes promovetur, c
am Rege Hungariæ cum multisProceri
Gallis atque Germanis appulso. Interi
pit autem hanc expeditionem Bohamu
dus Tripolitanus Comes, unde in patri
statim rediêrunt, isti Crucigeri, ablu
in Jordano corporibus, quasi eò venisse
peregrini, & non bellatores viderentur.

✲(1218.)✲ Petrus ImperatorConstan
tinopolitanus Romârediens Constantino
polim, à Theodoro Lascare contra fidem
datam

datam in nemorosis Thessaliæ locis proditoriè captus, & biennio in squallido carcere detentus, occisus est in convivio, contemptus ideò, quòd non satis cautè cum Græco Principe perfidioso egisset, à quo omnia formidanda videbantur. Uxor Petri interea Imperium prudenter moderata est, donec filius ejus Robertus è Galliâ adventaret.

Simon Monfortius in obsidione Tolosanâ conjecto ex urbe saxo in capite ictus, & simul quinque Sagittis confixus, religiosissimè & fortissimè occumbit.

In Frisiâ mare suis finibus, ruptis aggeribus, egressum totam ferè provinciam inundavit, & ad centena hominum millia periêrunt.

Otto Imperator depositus & ab omnibus derelictus peste moritur, sed pœnitens & piè valdè, ita ut etiam ossa sua ad Pontificem deferri juberet, quo ab excommunicatione solverentur.

A Jacobo Arragonum Rege Barcinone institutus est Ordo S. Mariæ de mercede pro captivis redimendis, operâ Raymundi de Pennafort Dominicani. Primus ejus Magister fuit Nolascus Gallus. In hoc Ordine alii sunt Milites seu Equites, & alii Monachi, omnes intenti ad captivorum vincula frangenda, & vinctos liberandos.

✠(1219.)✠ Damiata nobiliſſima Ægyp
ti civitas olim Thamatis dicta, vel ùt
vulgò Peluſium, deinde verò Æliopolis
pellata, Urbs munitiſſima firmiſſimâ tur
in medio Nilo anno ſuperiore obſeſſa,
gerrimè tandem occupata eſt, quam
Chriſtiani fluvium trajecerunt, & injec
divinitùs Saracenis terrore plurimos ce
derunt, atque caſtra occupârunt, quâ
de auditâ Conradinus alter Saphadini f
us muros Hieroſolymæ deſtruit, & c
copiis in Chriſtianos proficiſcitur, eoſq
Damiatam obſidentes ipſe viciſſim ob
det: at ſæpè victus multos ſuorum per
dit, donec Chriſtiani urbem ceperunt,
quâ hoſtium uſque 80 millia periêrunt,
capta eſt noctu Sultano turpiter fugient
& urbem deſerente, quam mulierculæ
infantes defendiſſent, ſi Principi anim
& conſilium non defuiſſet.

Ludovicus filius Regis Franciæ mov
contra Albigenſes & Toloſanos, ſed ob i
gruentem peſtem re infectâ recedit.

Celebratum eſt hoc anno Aſſiſii Cap
tulum dictum Storearum, cui Fratrum O
dinis S. Franciſci decem & ampliùs mill
interfuerunt, coacti habitare in caſulis e
ſtoreâ confectis, vicinis urbibus tant
multitudini affatim cibaria ſuppeditanti
bus.

bus. Sic nimirùm solet locupletissimus œconomus Deus suis in se confidentibus providere.

✲(1220.)✲ Robertus Petri Imperatoris Constantinopolitani filius è Galliâ rediens Imperator Orientalis coronatur, & Fridericus III. Romanorum Rex in æde S. Petri inungitur ab Honorio X. & simul Crucem contra Saracenos suscipit. Inauguratus quoque est Henricus Rex Anglorum.

Cumani Hungaris vicini ad Christum convertuntur.

Bononiæ celebratur Capitulum Generale primum Dominicanorum.

DECAS III.

Ab anno Christi 1220. ad 1230.

1221. ORto dissidio inter Christianos in ✲ Oriente Pelagius Legatus expeditionem suscipit in Ægyptum, reclamante Joanne Rege Hierosolymitano, progressi sunt eorum septuaginta millia adversùs Memphim seu Cayrum, Sultanus autem eos ludificavit, donec Nilus exundaret, tunc enim fractis aggeribus in eos fluvium immisit, & ad turpissimas conditiones compulit, ad reddendam etiam Damiatam.

His auditis Pontifex Fridericum II. Imperatorem (qui, dum coronaretur, hanc expeditionem voverat) ad succurrendum Christianis in Oriente adhortatur, is autem tergiversatus tam parùm Christianis juvat, ut potiùs Catholicos Episcopos Apulia vexet, quarè ab Honorio excommunicatur.

S. Dominicus ad cœlos evolat; & eodem anno nascuntur S. Aquinas, & S. Bonaventura, duo Ecclesiæ magni Doctores.

✲(1222.)✲ Moritur Theodorus Lascaris qui Imperii Græci titulum gerebat in Asia minore, eique succedit Joannes Ducas gener ejus cognomento Batazzes.

Fridericus Imperator nihil non moliens contra Pontificem Honorium, inprimis Aquisgrani filium suum Henricum novem annorum Regem Romanorum Aquisgrani coronat. Deinde adversùs Pontificem venit cum exercitu in Italiam; reconciliatur autem à Joanne Brenno Rege Hierosolymorum, qui tunc auxilia contra Saracenos petiturus aderat Pontifici, cui etiam idem Joannes filiam suam Jolantham uxorem dedit cum dote regni Hierosolymitani, unde factum, ut Siciliæ Reges se etiam Jerosolymorum Reges appellent.

In-

Ingens terræ motus Germaniam aliasq; Provincias, Italiam, Galliam, Cyprum, concussit, cum plurium urbium ruinâ.

Joannes Ducas Græcorum Imperator vincit Alexium & Isacium Principes, qui Lascaris, soceri Joannis, Imperium affectabant, & ad hoc auxilium Roberti Imperatoris Constantinopolitani implorabant, eâque victoriâ Ducas recepit urbes, quas Latini in Asiâ habebant, auxilio Bulgarorum usus & Turcarum.

Theodorus proditor Petri Imperatoris occupat Thessalonicam & Thessaliam, & nonnullas partes Imperii Occidentalis; item dictiones aliquas Bulgarorum & se Regem inaugurandum curat per Bulgarum Archi-Episcopum, ut Latini sic ancipiti hoste distinerentur.

✲(1223.)✲ Obiit Philippus Rex Francorum, cui successit Ludovicus VIII. parens S. Ludovici inter Imperatorem & Regem Francorum amicitia simul, & expeditio sancita renovatur, multùm laborantibus Joanne Brenno Hierosolymitano Rege, qui unà cum Magistris Templariorum, & S. Joannis ad Philippum Francum, & Henricum Anglum Regem adiit, & magnam pecuniæ vim ab utroque accepit pro hac expeditione, & Philippus quidem te-

ſtamento reliquerat centum millia librarum Pariſienſium Joanni Brennoni Regi totidem Magiſtro Templariorum, ac totidem etiam Magiſtro Hoſpitaliariorum.

S. Clara virgo mirabilis inſtituit Ordinem Clariſſarum ſub regula S. Franciſci quas aliqui Damianitas vocant, propter Eccleſiam S. Damiani.

✲(1224.)✲ Angli Francorum armis totâ Galliâ cujus magnam partem priùs occupârant à Ludovico VIII. expelluntur. Almaricus quoque filius Simonis Monfortii Regi Ludovico cedit, quicquid pater ejus in Galliis, Aquitaniâ & Narbonenſi occupaverat, unà cum comitatu Toloſano, quoniam ea ſe tueri poſſe deſperabat. Et ipſe viciſſim à Rege creatus eſt Magiſter equitum ſeu ſtabuli Comes, ut eſſet à Rege primus, minùs quidem potens, ſed ſecurus.

S. Franciſcus Sacris ſtigmatibus cœlitùs inſignitur.

✲(1225.)✲ S. Engelbertus Archi-Epiſcopus Colonienſis pro juſtitiâ martyrio afficitur.

Fridericus Imperator ductâ Jolanda ſeu Zolante filiâ Joannis Regis Hieroſolymorum in uxorem, ingratus in ſocerum & Papam, illum regno ſe abdicare cogit, &

huic

huic illudit, neque ad iter Palæstinæ se accingit. Ob quam causam rursus ab Honorio anathemati subjectus est, nisi definito tempore voto satisfecerit.

Nebulo quidam Campanus, aliàs eremita, finxit se Balduinum esse Imperatorem aliàs captum, quem vultu non malè referebat, & sic multis illusit ac Flandriam in ultimam fere perniciem impulit. Tandem detectus illusor suspensus è patibulo spe suâ altius ascendit.

✲(1226.)✲ Ludovicus educit ingentem exercitum contra Albigenses. Avennionem obsidet & captam muris denudat, quia transitum dare renuit. In Franciam rediens moritur, & defuncto succedit S. Ludovicus fere duodennis sub tutela Blancæ matris piissimæ fœminæ ac prudentissimæ.

Moritur S. Franciscus seraphicus Assisii ad S. Mariam de Portiuncula anno ætatis suæ 45.

Gingitz Cham Tartarus cum annis 12. in Perside grassatus esset, moritur, cui Octai filius succedit, qui fratribus suis ingentes exercitus committit, & assignat certas provincias subigendas, unde factum ut qui Moscoviam vastandam accepisset, inde etiam in Poloniam ac demum in Germaniam penetraret.

✲(1227.)✲ Honorius Papa III. mo
tur, cum sedisset annis undecim in ejus l
cum suffectus est vir doctissimus Hugo
nus Ostiensis Episcopus nepos ex cons
brinâ Innocentii III. dictus Gregorius I

Fridericus II. Imperator omnibus j
ad expeditionem sacram paratis adeoq
& navi conscensâ eandem fædissimè a
rumpit, 40. millibus cruce signatorum
cum eo ad propria redeuntibus. Feru
eum cum Sultano tunc fœdus pepigisse,
quo promissum ei regnum Hierosolymit
num, si nubem hanc belli Saracenis tu
imminentem discuteret. Ideò ab omn
bus diris & execrationibus devotus, & i
mul ab hostibus irrisus.

Obiit in Calabria ex morbo Comes Cru
ce signatus Ludovicus Landgravius Tu
ringiæ S. Elisabethæ maritus post obitum
miraculis clarus, & uxore hac sanctissim
dignissimus.

In Galliâ exoriuntur multæ factiones
dum Philippus Bononiæ Comes & Regis
Patruus adversus Blancham pro admini
stratore regni se effert, quos motus Blan
cha prudenter componit Parisinis Regem
suum Ludovicum cautè & fortiter prote
gentibus contra Proceres & Principes in
sidiatores.

✲(1228.)✲ Fridericus II. Imperator

Gre-

Gregorium Româ expellit, & bona Ecclesiæ invadit. Cui Pontifex Joannem Hierosolymorum Regem opponit, cujus filiam a se Fridericus repudiaverat, quòd eum de stupratâ nepte suâ reprehendisset. Ab eo igitur forti viro & irato sibi Fridericus metuens, relicto cum magnis copiis in Sicilia Rainaldo Duce Spoletino, ut vexaret Ecclesiam, ipse cum parva manu in Orientem navigat.

Italia omnis in duas partes distracta, Guelphorum Pontifici, & Gibellinorum Imperatori faventium. Dicti autem Guelphi à Welphone Bavariæ Duce, olim Pontificis acerrimo tutore: Gibellini vero à loco educationis vel nativitatis Conradi Imperatoris sub Friderico Ænobarbo, quæ nomina ante compressa & eliminata hoc tempore renata sunt, cum totius fermè Italiæ pernicie, non tantùm urbibus, sed & familiis & domibus in illas factiones distractis & efferatis.

Fridericus ubi in Syriam appulit, cum Sultano turpissimè pacisci tur, Jerosolymã enim ille recepit, sed muris nudatam, & Saraceni Templum Domini & sepulchrum retinuerunt, ut in iis ritus suos prophanos obirent, spoliavit exinde armis Ptolæmaidem, quæ ad Sultanum misit tanquàm a-

micum suum, corruptisque triremibus ad Palæstinæ tutelam destinatis rixatus et cum Patriarcha & Magistris Ordinum, salutato nemine, à nullo salutatus, cum duabus triremibus non tam abiit, quàm fugit è terra Sancta, quàm suis vestigiis fœdaverat, cum magno opprobrio contemptuque Christianitatis

In Gallia econtra res optimè geritur contra Albigenses qui pietate fortitudine Reginæ Blancæ & filii S. Ludovici penitus opprimuntur.

✲(1229.)✲ Lescus Poloniæ Princeps per proditionem interficitur relicto Boleslao Principe puerulo & regni hærede.

Robertus Imperator Constantinopolitanus Româ rediens moritur. Cui Balduinus II. ejusdem filius successit, qui cum puer adhuc esset, administratorem regni accepit Joannem Brennensem, cujus etiam gener postmodum effectus est, nuptum Martha filia ejus pulcherrimâ Virgine. Brenno tamen noluit Augustus sed Cæsar tantùm appellari, quamvis jam duorum Imperatorum socer, Occidentis, & Orientis. Cæterum mirum est quàm Græcorum Imperium circa hæc tempora fraudibus fuerit distractum, & fraudibus in Principatus & regna diversa coaluerit. Neque

que enim Græci aliter suæ consulunt ignaviæ, quàm fraudibus.

Gregorius Pontifex ab omnibus Principibus postulat auxilia contra Fridericum Apostatam, sed tumultibus occupabantur Septentrionales. Nec erant quieti Hispanienses. Tum nihilominus Jacobus Rex Arragoniæ Mauris eripuit Baleares insulas, capto earum Rege cum filio, qui Christianus factus est.

✲(1230.)✲ Fridericus Imperator pacem impetrat à Pontifice, & anathemate solvitur. Neque tamen factus facilitate Pontificis modestior, multùm negotii facessit Templariis & Hospitalariis, iterum anathemate feriendus, nisi Pontificis humanitas Imperatoris ferociæ prævaluisset.

Prussi Poloniam infestantes per Teutonicos Equites reprimuntur.

Alphonsus Rex Legionis cum filio Ferdinando Castellæ Rege Mauros ingenti prælio vincit.

DECAS IV.

✲ *Ab anno 1230. ad annum 1240.* ✲

1231 ✲ OBiêrunt hoc anno S. Antonius Patavinus, & S. Elisabetha Hungariæ Regina. Ex-

Expeditio nova in Asiam ab Europæis Principibus indicitur, quia eodem tempore Persarum Rex de invadendâ Syriâ cogitabat: ad hanc expeditionem tam pauci milites Fridericus misit, ut potiùs suæ inimicæ, quàm religioni providisse videretur.

Ludovicus Bavarus interfectus est à Sicario, quem Princeps Assasinorum, Vetulus Montanus svasione Friderici misserat. Hic Princeps formidandus erat pernè omnibus, quia tollebat ad libitum per suos missos, nefarios homines, & crudeliter mori paratos, ut beatam vitam, quam obiter hujus Principis arte degustárant, in ævum sempiternum consequerentur. Et iis porrò nomen Assasinorum percussoribus & Sicariis adhæsit. Unde autem dicti Assasini, non liquet: an à corruptâ voce Heidesesin, id est, Hæretico, an ab Essenis Judæis, an ab Assanctis Saracenis grassatoribus, an ab Assacenis Indiæ populis? Hoc certum, furorem eorum & amentiam, quam nomen, in Oriente & Occidente magis innotuisse.

✲(1232.)✲ S. Ludovicus Parisiensis Universitatem instituit.

Ordo Servitarum B. Mariæ V. Florentiæ instituitur.

Fridericus Imperator fingit se pacem ini-

inire cum Pontifice, & Longobardis interim occultè favet Saracenis, & tum Sultani Babylonii, tum Vetuli Montani suorum amicorum Legatos excipit, imò & Saracenorum Pascha in die festo S. Magdalenæ celebrat coram multis Episcopis & Proceribus.

✠(1233.)✠ Instituitur Ordo Equitum ℘, Mariæ glorioſæ, quorum munus erat procurare concordiam viduarum ac pupillorum suscipere patrocinium, qui tamen uxores ducebant, dicti vulgò *Fratres gaudentes*, quorum conditor fuit Frater Bartholomæus Vincentius Dominicanus, vir verbo & exemplo potens.

HÆRESIS CONDORMIENTIUM.

ERupit hæc pestis circa hæc tempora in Germaniâ, quorum fundamèntum fuit magia, & Magister quidam Toletanus, quibus adscribendus videtur Quido de Lachiâ Brixiensis, post mortem exustus, cujus ossa dæmones in aëra sustulerunt, sed vi Sacrificii Missæ eadem in rogum coacti sunt rejicere, & fateri, eum fuisse hypocritam & sceleratum. Impudentissima illorum hæresis fuit: præ nimio enim amore novi Evangelii, ùt ipsi prætexebant, viros & fœminas, juvenes & virgines uno loco concludentes promiscuis congressibus & peccatis enormibus nullâ sexûs aut ætatis ratione habitâ committebant;

In

In similibus nuptiis nihil certius, quàm dæmonem misceri & Paranymphum agere.

Gregorius Papa Canones in quinque libros Decretalium per S. Raymundum Ordinis Prædicatorum digestos jubet pu[illegible] cè expóni in scholis. Jus verò Civile Phrisiis, aliisque vicinis locis explicari vetat.

✲(1234.)✲ Fridericus II. iterum fingit se suscepturum expeditionem in Palæstinam, sed more suo ad tergiversandum & Pontificem ac Principes fallendos.

Albigenses adversùs inquisitiones rebellantes variis modis reprimuntur.

Apud Cremonam in monasterio S. Gabrielis lapis glacialis ex aëre decidit, signum Crucis & imaginem Christi expressam referens, cui desuper inscriptum aureis litteris J. N. R. J. quo liquefacto oculi alicujus cœcutientis aspersi visum receperunt,

In finibus Frisiæ & Saxoniæ stirpitùs exscinduntur Stadingenses hæretici, Crucem Christi prædicante Gregorio, & ad pestem hanc extinguendam Henricum Brabantiæ Ducem, & Florentium Hollandiæ Comitem ad arma inducente, ab his ferarum more tractati sunt, quos ratio domare non potuit.

HÆRE-

HÆRESIS STADINGENSIUM.

HOs infames hæreticos avaritia sordidissimi Sacerdotis à suo Præsule non coërciti crudeliter efferavit, ut libertatem Ecclesiasticam conculcarent, tyrannidem in quoslibet exercerent, Sacrosanctam Eucharistiam horribiliter tractarent, aliaque agerent ferino more grassantes, & cætera cum Albigensibus communicantes, qui virtute S. Crucis brevì eradicati sunt.

S. Ludovicus compressis domesticis & externis bellis, ducit uxorem Margaritham filiam Raymundi Comitis Provinciæ ditissimi, & quem locupletem effecerat peregrinus Romæus Compostellâ rediens; is enim ità Comitis hujus bona administravit factus ejus œconomus, ut quatuor filias quatuor Regibus cum regiâ dote uxores daret. Idem tamen œconomus vocatus in suspicionem, rationibus accuratè ac sanctè redditis, inops, utì venerat, abiît, relinquens incertum, unde esset, & quò recessisset.

Obiît Sanctius Navarræ Rex, dictus *Fortis*, cui successit Theobaldus Campaniæ Comes, ejusque sororis filius.

✲(1235.)✲ Henricus Friderici Imperatoris filius à patre vocatus in Italiam, postquàm rebellâsset anno superiore & veniâ donatus jam esset, in carcerem conjicitur,

tur, & in vinculis quinquennio detinetur carceribus sæpè mutatis, quia dignus non erat uno tantùm supplicio.

HÆRETICI PATARENI ET BUGARES DICTI.

EMerserunt circa hæc tempora Patareni, seu Bugares, corruptè dicti Bulgari, qui abominandi fami & præposterâ libidine nomen traxisse videntur. Eorum unus fuit Robertus Bugre, qui conversus factus est Dominicanus ardentissimus & dictus Malleus hæreticorum; *Sed is quamvis ob crimina in perpetuum carcerem intrusus, docuit non semper in viris magnis fineminentiis respondere.*

Wenceslaus Bohemiæ Rex, Ottochari successor Imperatori Friderico soli reperto necem intentat, nisi eum datâ fide dimitteret & apud infidum Principem valuit audax facinus, ut fidem non solùm extorqueret, sed & libertatem, & simul amicitiam Imperatoris in præmium referret.

✠(1236.)✠ *Ezelinus de Romano*, sic dictus ab oppido Marchæ Tarvisano, primò in Germania miles, mox in acerbissimum tyrannum conversus, excitat Fridericum ad exercitum comparandum contra Longobardos: qui mox civitates adversùs hunc tyrannum confœderatas vexat. Abstinere tamen cogitur propter bellum adversùs

versùs Fridericum Austriæ Ducem, multis criminibus infamem à suis Ducibus minùs prosperè gestum, quod ipse priùs conficiendum suscepit.

Græci ab obsidione Constantinopolis per Cruce signatos & operâ Venetorum repelluntur. Et Joannes Brenno arctissimè à Saracenis & Bulgaris obsessus liberatur.

✲(1237.)✲ Patriarcha Jacobitarum, adveniens Hierosolymam cum multis Archi-Episcopis & Episcopis ejuravit suos errores, seque Romano Pontifici submisit. Verùm id feciſſe metu Tartarorum & spe auxilii à Christianis, deprehensus est, mox ad vomitum reversus cum timere desiit.

Balduinus II. Constantinopolitanus Imperator Joanne Brennensi jam demortuo in Occidentem venit, à Principibus Christianis auxilia petiturus.

Jacobus Arragonum Rex Valentiam, Mauris eripit, 50. millibus Saracenorum mox ejectis.

Fridericus II. Imperator *ad Curtem novam* magnam de Longobardis victoriam refert, cæsis illorum decem millibus; & tot captis, ut eos non caperet Cremona, inter reliquos interceptus est Teupolus Mediolanensium prætor, Jacobi Venetiarum

rum Ducis filius, quem turpiter strangu-
ri jussit, in cœteros acerbè sæviit, Princ-
ex sanguine & luto concretus.

In Cujaviâ Poloniæ ditione Dux M-
sco seu Miecislaus cognomine, Cosf-
direptis crudeliter viduarum ac pupil-
rum bonis, in convivio à murium coh-
te expetitus, licèt in castrum fugeret
quis præcinctum, frustrà suis resistentib-
devoratus est, formidandum ejusmodi
pacibus harpyis exemplum.

✲(1238.)✲ Balduinus II. itinere p-
destri cum sexaginta Francorum millib-
progressus Constantinopolim, benignè a
Hungaris & à Bulgaris suscipitur. Eòde-
subsecutus est Theobaldus Navarræ Re-
& Petrus Britanniæ Comes.

Fridericus Imperator cum tyranno Ez-
lino pergit vastare Longobardiam & He-
rico notho suo, dicto Hencio, Sardinia-
Insulam ad Ecclesiam Romanam pertinen-
tem, & à se violenter occupatam, guber-
nandam tradit, eumque Regem creat.

✲(1239.)✲ Crescentibus indiès magis
magisque dissidiis inter Gregorium Pon-
tificem & Fridericum II. Imperatorem to-
ta Germania & Italia in factiones dividitur,
& Fridericus excommunicatus à Grego-
rio Papâ, privatur Imperio.

Vene-

Veneti & Genuenſes pro Pontifice pugnantes vincunt Imperatorios & Piſanos fautores eorum. His verò accenſus Fridericus movet in urbem ; & huic Gregorius objicit Cruce ſignatos Romanos, quos interceptos Germani in odium Crucis, crudeliter interemerunt, aut turpiter deformârunt. Quare Pontifex, tot malis è cœlo accerſens auxilium, ſtatuit, ut poſt aliquot horas Canonicas *Salve Regina* Hymnus Hermanni Contracti, occineretur, & pulſarentur campanæ ad SS. Euchariſtiæ confectionem. B. M. V. memoria in officio recoleretur. Et hæc Friderico plùs quàm arma nocuerunt.

Mauri in Hiſpania inſtituunt regna Murciæ & Granatæ.

S. Ludovicus iterum miſſo exercitu compeſcit Albigenſes.

In Aſia quidam nomine Baba, prophetam ſe dicens, ex colluvione hominum ingentem colligit exercitum, & omnibus hoſtis factus, longè latéque omnia vaſtat, quem Rex Guniæ tandem delevit.

✠(1240)✠ Ferraria occupatur a Mediolanenſibus in bello contra Fridericum ſuſcepto, cui nomine Eccleſiæ Romanæ præficitur Azo Eſtenſis, & hinc Dominatio familiæ Eſtenſis in eâ civitate initium ſumpſit.

Rex

Rex Navarræ in Palæstina primùm fe
citer pugnat, deinde verò eo absente Fr
ci magnâ clade afficiuntur. Eodem
post pactas inducias redeunte in Euro
Richardus frater Regis Angliæ cum
hominum millibus & classe ingenti appe
Sed id non alio operæ pretio, quàm
post Sardiniam vastatam, quam Pisani
mine Entii sive Henricii tenebant, in
ciæ tantùm cum Arabibus protraherent
quòd Friderici præfectus amicos Dom
sui Saracenos bello tentari non fineret,
magnum Ecclesiæ & totius Occidents
opprobrium.

Mauri vincuntur ab Hispanis, quib
compositis 20. cum uno Hispano depu
nabant. Inchoato certamine Sacerd
Missas celebrans hostias involvit sacro li
teo, ac subdidit saxo; Post victoria
inventum est linteum rubere sanguine
quare hostiæ cum eodem linteo Daroca
religiosè translatæ, hodie etiamnùm san
guine rubere videntur.

Transfertur Pallentina Academia Sal
manticam, & Hugo de S. Caro sive de S
Theodorico ex Ordine S. Dominici con
ficit laboriosum opus Concordantiarum
Biblicarum, quando & sacram scripturam
in capita distinctam esse ferunt.

DE-

DECAS V.

Ab anno Christi 1240. ad 1250.

1241. IMmanis facta est hoc anno eluvio Tartarorum Duce Petâ per Europæ regiones: Poloniam, Hungariam, Silesiam ferro & flammâ rabiosè grassantium. Quibus tamen fortiter obstitit Henricus Pius Wratislaviæ Dux, filius Henrici Barbati & S. Hedwigis, qui tandem ipse magicis eorum carminibus victus interiit cum magna parte suæ nobilitatis. In obsidione Olomutii tandem interfectus est Peta, & agminis ferè Tartarei reliquiæ recesserunt ad Bathum alterum suum Ducem, Hungariam depopulantem. Neque priùs sævire destiterunt, quàm Chami sui Principis auditâ morte: tunc enim prædâ divites per Cumaniam & Russiam rediêrunt.

Præsules ex Galliâ ad Concilium proficiscentes ab Entio & Pisanis intercepti, & classis Genuensis, quæ eos vehebat, victa: durè habiti omnes, quidam etiam cæsi, neque dimissi nisi minacibus S. Ludovici litteris transmissis, quem Fridericus plurimùm reformidabat.

Moritur Gregorius IX. propè Centena-

rius, cùm sedisset annis 14. & 5. mensib. 5. diebus. In ejus locum selectus est Gu fridus Mediolanensis dictus Cœlestinus sed hic die decimo octavo sui Pontificat obiit, antequàm coronaretur, cùm bis ante ejus mortem magna solis eclipsis c tigisset, stellis apparentibus, & omni disparente. Vacavit inde sedes 20. m sibus propter Cardinales à Friderico d tentos. Igitur qui Romæ supererant ctores ediderunt votum de procurand ctava nativitatis B. Mariæ Virginis.

✲(1242.)✲ Tumultuatur in Gall Comite Marchiæ, ab ambitiosâ fœmin xore suâ instincto, rebellante, & in bell cietatem adsciscente Anglum. Ven quoque per nequissimam hanc mulier tentata est vita Ludovici. Propter qu turbas impeditus est, quò minùs Pontif electionem urgeret contra Fridericum h stem Ecclesiæ denunciatum. Compos tamen hos motus Ludovicus, victo Comi & Anglo debellato.

✲(1243.)✲ Adnitente S. Ludovic Francorum Rege & Balduino Constantino politano Imperatore, remittuntur à Fride rico detenti Cardinales: qui congreg cum Romanis Cardinalibus elegerunt A nagniæ Sibaldum Genuensem, dictum

trum

trem Juris sub nomine Innocentii IV. Qui cùm alias esset amicus Friderici, mox honorificam Legationem ad eum misit, ex quâ tamen hic magis efferatus, Monachos, qui Pontificis litteras deferebant, suspendit. Quâ ferociâ etiam Viterbienses exasperati rebellârunt, & Romanis se conjunxerunt, Fridericum Saraceno, quàm Christiano, similiorem detestantes.

✲(1244.)✲ Innocentius indicit Concilium Lugdunense & ad illud citat Fridericum Imperatorem.

Charassuini seu Arabes à Tartaris pulsi è suis sedibus Palæstinam invadunt, & ipsam Hierosolymam occupant. Bis cum iis fortiter pugnatum à Christianis. Captus tunc Gualterus de Brienna Comes Joppensis, ac Joppen deductus, ut urbs hujus cruciati aspectu dederetur, ille è contra suos fortiter ad resistendum adhortatus est, ideò ductus in Ægyptum in frusta concisus, Martyrii nobilem palmam retulit. Ab hoc tempore Hierosolyma Christiana esse desiit, Dominos experta Saracenos, eosque omnium turpissimos.

S. Ludovicus Galliarum Rex graviter ægrotans, & jam depositus, votum facit de expeditione faciendâ pro recuperatione Terræ sanctæ, & illicò sanitatem recuperat.

Innocentius fugit in Galliam propt
graſſationes Friderici,& Lugduni 12 C
dinales creat.

✲(1245.)✲ Lugdunenſe Concili
Generale celebratur, à quo Fridericus
ſens excommnicatur tanquàm ſchiſm
cus, & denuò deponitur, ac bello ſa
præficitur S. Ludovicus. In eodem C
cilio Cardinalibus anteà purpuratis da
pileus rubeus, pro ſigno fundendi, ſio
ſit, ſanguinem pro libertare Eccleſiæ.

In locum Friderici depoſiti Imper
ris à Principibus Germaniæ eligitur in
gem Romanorum Henricus IV. Landg
vius Haſſiæ & Turingiæ, qui tamen nu
quam inauguratus eſt.

Miſſi ſunt hoc anno tum ex Dominic
nis, tum Franciſcanis Concionatores
Tartarorum Chamum, à quo benignè
cepti, & inde in Perſidem progreſſi, ſ
non alio operæ pretio, quàm ut multi
magna pro Chriſto paſſi redirent.

Fridericus depoſitus furit contra Sace
dotes & Eccleſias, quaſi humanitatis leg
bus penitùs exſolutus & amens; ſed & ci
dibus variis ejus furor repreſſus, & filiu
ejus Hencius à Mediolanenſibus captus e
Mox tamen redditus ſequeſter pacis Rhe
gienſibus & Parmenſibus.

✲(1246.)✲ Henricus Landgravius
Haſ-

Hassiæ & Cæsar electus vincit in Germaniâ Conradum depositi Imperatoris filium, & penitùs è Germaniâ eum ejeciſſet, nisi eum Otto sacrilegus Bavariæ Dux excepiſſet. Quarè hic excommunicatus est, ac paulò pòst morte subitâ elatus.

Fridericus Austriæ Archi-Dux sceleratissimus (cui Fridericus Imperator post excommunicationem suam in odium Pontificis reconciliatus potestatem paulò antè fecerat Crucis in Coronâ ferendæ, quo signo Archi-Ducem creaverat) prælio ad Neapolim Austriæ cum Belâ Hungariæ Rege commisso, occumbit, licèt victoria penes exercitum illius steterit.

✲(1247.)✲ Henricus Landgravius Romanorum Rex Ulmæ in Sveviâ moritur, eique suffectus est Guilielmus Hollandiæ Comes annorum duntaxat 20. sed virtute senex.

Fridericus depositus Imperator Lugduni voluit opprimere Innocentium Pontificem, sed nothus ejus imprudenter agens, sacrilegum consilium abrupit, quia Parmam perdidit, quam Fridericus vitâ Pontificis potiorem habebat: ideò mox eam obsedit, & castra sic communiît, ut novam urbem exhiberet, quam Victorinam appellavit, & in his condidit basilicam S. Victo-

ri sacram, & nummos cudi jussit Victo-
nos appellatos; quæ tamen omnia in e-
dedecus recidêre. Parmenses tandem
me enecare decrevit, & eorum captivo
oculis civium immaniter torsit, quibus
pliciis obsessis desperationem ingessit,
suisque rebus fatalem.

S. Ludovicus discessurus ad bellum
crum, ut victor priùs sui, quàm Sarace-
rum expeditionem auspicaretur, per Co-
cionatores denunciari curavit, ut si qui
se vel Ministris Regis passus esset aliq
injuriam, quam probare posset, eam
nunciaret, accepturus ex fisco infallibili
pretium damni illati.

✲(1248.)✲ Fridericus II. Imperator
dum venatione & aucupio delectatur e
tra Victoriam suam, sive castra Victoria
uti ipse appellavit, ab erumpentibus Pa
mensibus, præcedente B. Mariæ Virgi
imagine, profligatus, Victoriam suam & c
stra Victorina, & omnes thesauros su
perdidit, & priusquàm exercitum su
disponere posset, magnam suorum stra
gem passus est, ut spoliatus bonis, exerci
tu, honore, & Coronâ Imperiali, qu
tunc quoque capta est, Cremonam confu
gere coactus sit. Mox tamen ad obsidio
nem rediit, sed quam denuò solvere com-
pul-

pulsus est, Guelphis jam resumentibus animos, quos Gibellini abjecerunt.

Guilielmus Comes Hollandiæ Aquisgrani in Regem Romanorum coronatur, dum Fridericus Parmensi obsidione detinetur.

S. Ludovicus susceptâ expeditione sacrâ Cyprum appellit.

Hispalis à Ferdinando Castellæ Rege post sedecim mensium obsidionem Mauris eripitur, quorum centum millia expelluntur & ad trajiciendum coguntur.

✲(1249.)✲ S. Ludovicus solvit à Cypro, & Damiatam metropolim Ægypti capit, Saracenis præ timore fugientibus ad primum irruentis tunc Ludovici adspectum. Dum autem idoneum tempus ad bellum Christiani operiuntur, luxuriosiùs vixerunt quam sacra expeditio, & tam pii Principis exemplum postulabat.

Fridericus Petrum de Vineis, à quo veneno tentatus erat, oculis orbatum & per urbem ad ignominiam circumductum tradit Pisanis ejus inimicis, quos ille metuens, capite ad columnam illiso cerebrum ac vitam haud dubiè etiam æternam perdidit, vir ille erat ingeniosus & eloquens, & cui tantùm causa & melior dominus defuit; quem cum Deo & Ecclesiæ anteposuerit, pœnas utrique acerbissimas & æternas dabit.

Eodem tempore victus & captus est Bononiensibus Hencius Friderici nothus sancitâ à victoribus lege, ne unquam dimitteretur, quod & factum, quanquam ejus pater circulum offerret aureum, qu urbs tota cingeretur. Itaq; 23. annis in care ferreâ nutritus est usquead obitum, atq in eo, Christi anno 1272. Friderici stirp viperina defecit, magno Imperii & Eccle siæ commodo.

✲(1250.)✲ Infelix hic annus cecidit in Oriente Crucigeris pugnatoribus, i gentibus enim præliis semel atque iterum à Saracenis victi & cæsi: Robertus frate Ludovici vadum Taneos transgressus, dum castra Saracenorum fortiùs, quàm cautiùs invadit, ab iis juxta Massoram implicitu cum multis Nobilibus interfectus est. Mor tamen ponte super aquas constrato, & tra jecto toto exercitu Christianorum, redin tegrata est pugna, & omnes ferè Duces Saraceni, & clarissimi quique supra homi nem depugnante Ludovico, ceciderunt. Cùm verò posteà Meleschala filius Meledi ni novus Sultanus cum novis copiis adfuis set, & Francorum castra lues invasisset, Da miatam, fugientibus similes, repetere coacti sunt. Sed imprudentissimè pontem non resciderunt, quem transgressi Barbari a trocis-

trocissimo certamine Christianos invaserunt, in quo Ludovicus peste jam ictus cum duobus fratribus Alphonso Pictavienſi, & Carolo Andegavenſi captus est. Damiatam autem ægrè servavit Margaritha uxor Regia, quæ inter magnos dolores ibidem filium enixa est, quem *Tristanum* dixit. Dum verò in vinculis habetur Ludovicus, nihil clade suâ dejectus, Mammaluchi Sultanum suum interemerunt, & suo captivo Principatum obtulerunt; Sed ubi Ludovicus iis ostendit, nec id è re suâ, nec eorum esse, cum iis, & ab iis electo Principe fœdus iniit, Christianæ Religioni nequaquàm injuriosum. Reddita ergò est vi fœderis à Francis Damiata, quam posteà Barbari diruerunt, & soluti captivi, non tamen omnes contra datam à Saracenis fidem, sed aliqui tantùm, ægris omnibus jugulatis, & plerisque ad Christum abjurandum adactis, aut interemptis; soluta quoque à Rege octo millia Bisantiorum pro lytro. Posthæc Rex sanctus liber egit in Palæstinâ toto quadriennio, & suis sumptibus aliquot urbes ad præsidium Christianorum refecit, neque tamen Hierosolymam, quod multùm optavit, adiit, quia id precariò agere, visum erat tantum Regem dedecere.

In Occidente interea Fridericus II. dum

magnam expeditionem molitur, anno ætatis 57. (dubium, an ex morbo, an veneno, vel à Manfredo Notho suffocatus; an Panormi, an Florentiæ, vel in Apuliâ, dubitant Scriptores & variant) certo certè miser periît, & meritò dubitari potest, an Christianè, & in habitu Monachi Cisterciensis verè pœnitens interierit. Vir sanè magnus fuisset, si impotentes animi motus suppressisset: quos Principes in magnâ fortunâ nati & educati rarò domare solent.

Mortuo Friderico impostor quidam personam ejus diu sustinuit, sed tandem captus pseudo-Fridericus flammis addictus regnum suum tragœdiam & fumum esse didicit.

DECAS VI

Ab anno Christi 1250. ad 1260.

1251. INnocentius Papa Regem Romanorum Guilielmum confirmat, Conradum verò filium Friderici ac ejusdem fautores excommunicat, relictoque Lugduno redit in Italiam, nondum tamen Romam ingreditur ob quorundam pervicaciam.

In Galliam Duce quodam Hungariæ concitatur factio Pastorellorum, verius nebulonum & grassatorum, qui sub prætextu

sup-

suppetias ferendi S. Ludovico in Palæstina militanti, sub circulatore ac mago quodam conglobati proditores erant, qui Sultano Babylonico promiserunt omnem se Galliæ nobilitatem brevi in ejus manus ducturos. Sed, Duce eorum a Bituricensibus cæso, copiæ quamprimúm dissipatæ evanuerunt, & populo graves, & Clero metuendi esse desiêrunt.

Rudolphus Comes Habspurgicus in venatione obvium habens Sacerdotem ad infirmum sacrum viaticum deferentem, illum equo imponit, & pedes ipse equitem deducit ad domum usque infirmi, atque in Ecclesiam reducit. Cui Sacerdos Divino afflatus Spiritu prædicit Imperium, quod ei post annos viginti duos obtigit: adeóque pietate suâ, sibi, suisque diuturni Imperii fundamenta locavit.

HÆRESIS GUILIELMI DE SANCTO AMORE, ET DESIDERII LONGOBARDI.

Hostes jurati fuerunt Religiosorum Mendicantium, asserere impudenter ausi,

1. *Monachos ex eleemosynis viventes salvari non posse, & indiscriminatim omnes teneri ad victum opere quodam manuali procurandum.*

2. *Paupertatem habitualem esse licitam, non autem*

autem actualem, hoc est, licitam esse animi promptitudinem ad omnia pro Christo relinquenda, cùm urget necessitas, hâc tamen necessitate seclusâ illicitam esse paupertatem, quâ quis renunciat omnibus quæ possidet, ut Deo liberiùs serviat.

3. *Nefas per consequens esse, religionem aliquam ingredi, quæ vel possessiones saltem in commune non habeat, vel certè se ex operibus manuum non vivere profiteatur.*

✠(1252.)✠ Conradus filius Friderici II. Imperatoris Neapolim post octo mensium obsidionem sibi deditam, contra datam fidem, diripit, & alibi contra Longobardos Ezelinus furit, ideò Innocentius Papa eundem anathemate ferit, & Carolum Andegavensem contra eum evocat, utroque regno Siciliæ etiam in feudum dato.

Obiît hoc anno Ferdinandus Castellæ Rex felicissimus, magnus Astronomus, Philosophus & Historicus.

S. Petrus Ordinis Prædicatorum Martyrio afficitur ab hæreticis, qui se *Credentes* tunc temporis appellabant, suntque in ortu suppressi.

Rex Angliæ prætextu expeditionis sacræ promovendæ bona pauperum & Clericorum sibi adscivit, ideò Minoritæ missa sibi munera laudabiliter remisêre, recusantes

santes eleemosynas ex rapinis compilatas admittere.

✠(1253.)✠ Edicto S. Ludovici Regis omnes Judæi è regno Galliæ proscribuntur, exceptis iis, qui artes mechanicas profitebantur.

Parisiis à Roberto Sorbona (humili quidem loco nato, sed divite, & qui Ludovico charus erat) Collegium Sorbonicum, magnæ famæ erigitur, quod Cardinalis Richelius ex inopi posteà illustre fecit; Scripsit hic Robertus aliqua in Patrum Bibliothecam intrusa, stylo tam abjecto & rudi, ut appareat plùs in bono viro pietatis & nummorum, quàm ingenii & doctrinæ fuisse.

Guilielmus de S. Amore Theologaster quispiam Parisiensis & hæreticus, de quo suprà, dictis & scriptis exagitat Minoritas & Dominicanos tanquam otiosos mendicantes, sed egregiè ab iisdem confutatus, ab Alexandro IV. postmodùm etiam damnatus.

Moritur S. Clara, quam ægrotantem priùs Summus Pontifex invisit, & funeri interfuit, atque eodem die inter Sanctos eam referre voluit, nisi à Cardinali quodam sapienter admonitus esset, hoc opus non præposteræ, sed benè concoctæ ac

prudentis pietatis esse debere, quare ide
jus successori Alexandro reservatum est.

✲(1254.)✲ Conradus Rex fratrem
suum Henricum duodennem Siciliæ Re
gem è medio tollit operâ cujusdam Duc
Saraceni, sed recepit mox eandem menti
ram vicissim à Manfredo notho suo vene
no extinctus, & quidem sub excommuni
catione & impœnitens, cujus exequiæ
dum Messanæ celebrarentur, templum in
flammatum est, & cadaver ejus igne con
sumptum, quo vivus propter atrocia cri
mina conflagrare meruit.

Innocentius adhæc Neapolim veniens
à Manfredo magnificè honoratur, sed bre
vi pòst alienato & fatali hoste, ut qui per
suos Saracenos Luceriæ degentes, Ponti
ficis exercitum delevit, ne patri & fratri
eorum ipse interfector, impietate cessisse
videretur.

Hoc nuncio accepto Innocentius non
multò pòst è vivis abiit, vir sanctimoniâ &
eruditione eximius, quidquid Fridericia
ni garriant; successit ei Rainaldus Episco
pus Ostiensis, dictus Alexander.

S. Ludovicus Rex ex Oriente in Galliam
revertitur cum uxore & liberis, 14. navi
um classe, & redux ita vixit, ut ex Terrâ
sancta sanctimoniam revexisse videretur;

à va-

à variis quoque Regibus, Angliæ, Navarræ, aliisque visitatus, & ab æmulis etiam honoratus.

Mauri à Jacobo Rege Arragoniæ ejiciuntur propter rebellionem. Abiêre tunc armatorum 60. millia præter mulieres & pueros, conversique in Africam ac variè diviſi, pernitioso onere Hiſpaniam levaverunt.

✲(1255.)✲ Moritur Joannes Ducas, cognomine Battazes, Græcorum Imperator, vir fortis & prudens, ſed libidinoſus. Cui ſucceſſit ex Irene filius Theodorus Laſcaris Ducas, annorum 33. ejus nominis Tertius.

Alexander IV. ſacrum bellum indicit, contra Manfredum, & Siciliæ regnum concedit Eadmundo filio Henrici Regis Angliæ, ſed viciniore & majore Principe opus tunc erat ad Manfredum retundendum.

Civitates ad Rhenum poſitæ ob imbecillitatem Imperatoris, ſocietatem iniêrunt, quâ ſibi quietem comparârunt, deſtructis caſtellis, & graſſatoribus exterminatis, quos Principum ignavia fovere ſolet.

✲(1256.)✲ Venetos inter & Genuenſes in Oriente grave diſſidium oritur propter monaſterium S. Sabæ in Ptolemaide ſitum

tum, & Veneti quidem, dum ope Pisanorum pugnâ ad Tyrum initâ prævalent, d.ctum monasterium, imò & totam Ptolemaidem occupant, victis & in Tyrum recedentibus Genuensibus, rem Christianam & Palæstinam laceraverunt, ut hæc neutrius populi, sed Saracenorum facta sit.

Guilielmus Rex Romanorum, dum contra Frisios & Hollandos pugnat, glacie sub equo subsidente, jaculis & contis confoditur. Germaniæ autem Principes in electione novi Regis Romanorum dissident, aliis Richardum Regis Angliæ fratrem, aliis Alphonsum Castellæ Regem volentibus, Pontifice autem impediente, quò minùs Conradus filius Conradi, dictus aliter Conradinus, eligeretur.

De sorore Guilielmi Regis, dictâ Mathilde seu Margaritha (non illa Hollandica, sed Heñebergensi Comitissâ) memorant Historici, quòd uno partu 365. pueros ediderit, divinitus punita, propter injuriam pauperculæ fœminæ illatam, & ab eâ diris devotam. Ferunt omnes fœtus vivos sacris aquis ablutos, & Joannis nomine nuncupatos esse. Hæc narrantibus Historicis seu fidem, seu risum dederis, non offendes.

Ezelinus tyrannus tam acerbè furit in Marchia Tarvisana, ut ob crudelitatem non-

nonnulli ex dæmone genitum putaverint strage suorum (quorum unâ vice duodecim Patarinorum millia amisit) non tam repressus, quam efferatior factus, quo tetrior carnifex Longobardis castigandis immitti non potuit.

✲(1257.)✲ Richardus & Alphonsus de regno Romanorum disceptant, sed Richardus Aquisgrani coronatur, & Alphonsus manet in Hispania solo nomine retento Mauris invigilans, ne pluribus inhians amitteret possessa.

Tartari occupant regionem Assasinorum.

✲(1258.)✲ Haolanus frater Mangonis magni Chami Tartarorum occupatâ Persîde Baldachum & in eo Calypham successorem Mahometis capit, cum multo auro & gemmis ; quæ Calyphæ pro ferculis apponi jussit, & sic fame mori compulit, diruit deinde omnes Mesquitas Saracenorum, Christianorum sumptibus & labore ædificatas basilicas, majorem inde spem futuri quam fructum præsentis boni Christianis capessentibus. Interea dum Tartari regnum suum dilatant, Veneti Genuenses, & Pisani de confinibus præliantur.

✲(1259.)✲ Theodorus Lascaris Ducas Græcorum Imperator moritur, & succesſo-

cessorem relinquit filium Joannem sexennem, cujus tutorem Michaël Palæologus agit, & Imperium ambit.

Ezelinus dum Mediolanum proditione capere intendit, à fœderatis intercluſus vulneratus & captus ac Sancinam deductus ex vulnere impœnitens obit, cui promerita supplicia Deus æterna esse voluit, cum temporalia nimis brevia fuerint. Frater ejus Albericus (prole enim carebat homo sceleratus) cum omnibus thesauris in munitissimum Castrum S. Zenonis confugit, ubi anno sequenti coactus se dedere, crudeliter necatus pœnas suo ac fratris nomine persolvit.

✠(1260.)✠ Michaël Palæologus Nicææ Imperatorem se coronari curat, pupillo suo Joanne in Magnesiam sub custodia relegato, quod cum Arsenius Patriarcha impedire & tolerare non posset, suffecto sibi Nicephoro II. monasterio suo se incluſit.

Tartari Saracenis eripiunt Alapiam, Damascum, aliasque civitates, & pars illorum irrumpit in Poloniam, eamque depopulatur magnâ hominum strage editâ, Boleslao autem cum uxore in Hungariam fugiente.

Florentini victi in verba Manfredi tyranni jurare compelluntur, & Florentia a Gibellinis occupatur & tota fere diruitur.

In

In Italia Eremita quidam Reinerius nomine auctor est publicæ flagellationis, quâ ex pietate in se quisque sæviebat: accedente autem deinde superstitione transiit hæc castigatio in turpem sectam.

HÆRESIS RAIMUNDI LULLI.

Histrio hic cœpit libellos suos hoc anno spargere, dictitans JEsum Christum sibi in Crucifixi forma apparuisse, seque ex ejus ore doctrinam suam accepisse;

1. *Asserebat Deum habere plures essentias.*

2. *Deum Patrem fuisse antequam esset filius, & hunc illo juniorem esse.*

3. *Divinam essentiam cum otiosa non sit, essentiare, & naturam (hæc sunt verba illius) naturificare, bonitatem bonificare &c.*

4. *Spiritum Sanctum esse conceptum de Patre & Filio, qui modus loquendi erroneus est, à Patre enim & filio non per conceptionem aut generationem, sed per dilectionem spiritualem & æternam producitur Spiritus Sanctus.*

5. *Crimen esse dicebat & injustitiam hæreticum aliquem ulcisci:*

DECAS VII.

Ab anno 1260. ad annum 1270.

1261. ANno 2. Michaëlis Palæologi Constantinopolis annis jam 56.

à Latinis ſervata proditione quorundam ruſticorum, immiſſis per veterem aquæductum 50. armatis viris occupata eſt ab Alexio Cæſare cognomento *Strale populo*, dum pergeret adverſus Michaëlem Ætoliæ atque Epiri Deſpotam. Fugit Balduinus II. Imperator cum Pantaleone Juſtiniano Patriarcha. Aliunde autem Michaël Palæologus accurrens eam pedes ingreſſus eſt, præcedente B. Mariæ Virginis imagine *Hodegetria*, ſicut & Arſenius recepto jam Patriarchatu poſt Nicephori mortem. Nec potuit hoc gaudio diù Alexius frui, mox enim ab Angelo Michaële captus & Monfredo traditus, à quo permutatus eſt cum relicta Jo: Batatzis ſorore ſua. Joannes autem legitimus hæres Imperii excæcatus eſt à Michaële, quem ideò Arſenius excommunicavit, ſed ille Arſenium depoſuit. Unde multæ turbæ exortæ populo in Principem rebellante, & quia tributis opprimebatur, Turcis perfidiosè ſeſe dedente.

Veneti miſſâ ingenti claſſe brevi iterum Conſtantinopolim recuperaſſent, niſi Genuenſes plùs Græcis faviſſent, cum magno ipſorum & Imperii & Eccleſiæ damno.

Alexander IV. Papa moritur. Cui ſuccedit Jacobus Pantaleon Patriarcha Hieroſo-

rosolymitanus, vir valde doctus, prudentiâ & moribus insignis, dictus Urbanus IV.

✲(1262.)✲ Urbanus IV. Cruce signatos immittit in Mansfredum Siciliæ tyrannum, cùm verò his stipendia non numerarentur diffluxêre copiæ, & Mansfredus ita prævaluit ut Pontifex cum suis Cardinalibus in urbem veterem confugerè coactus fuerit. Vires & animos novos Mansfredo addidit fœdus cum Jacobo Arragoniæ Rege initum, datâ illius filiâ Constantiâ pro spe Siculi Regni obtinendi. Quidquid Pontifex, & quidquid Raymondus Pennafortius contradixerit, spes regni apud Jacobum prævaluit.

✲(1263.)✲ Michaël Palæologus Imperator Græcorum pressus tumultibus domesticis, & graviores externos metuens cogitat de unione Græcæ Ecclesiæ cum Romanâ: sed his curis solutus hanc sanctam cogitationem omninò deponit.

Urbanus IV. Regnum Siciliæ offert Carolo Audegavensi, fratri S. Ludovici Regis Galliarum, qui etiam (urgente potissimùm Beatrice) illud acceptavit.

✲(1264.)✲ Vulsinii in æde S. Christinæ hostia à Sacerdote fracta emisit sanguinem, cujus miraculi occasione Urbanus IV. festum Corporis Christi instituit, & hujus

hujus festi officium scripsit S. Thomas Aquinas.

Henricus Rex Angliæ à rebellibus proceribus suis, agmine ducente Simone Montfortio vincitur & capitur cum fratre Richardo, gemini autem filii Regis Eduardus & Henricus pro Patre obsides se ultro dederunt Montfortio, plùs de Patre quàm de regno solliciti.

Boleslaus Poloniæ Rex Jazygas populos majore ex parte delet, alios ad fidem Christianam compellit, ut eorum memoria penitus ab hoc tempore interierit.

✠(1265.)✠ Urbano IV. 6. Non. Octob. anno superiore mortuo, succedit Clemens IV. nonis Februarii electus, absens in legatione Anglicana, Guido Grossus antea appellatus, natione Gallus, & peritissimus Juris-Consultorum, exemplar Pontificum, omnibus bonis charus & malis metuendus.

Carolus Andegavensis Romam venit & à Pontifice Rex Siciliæ ac Neapolis declaratur.

Alphonsus Rex Castellæ ingenti strage Mauros cædit, & Murciæ, Granatæque Reges rebelles domat.

In Anglia deficientibus à Montfortio, rebellium capite, proceribus nonnullis & Eduar-

Eduardo Regis Angliæ filio captivo per fugam elapso, ingens pugna Regios inter & rebelles committitur, in quâ Montfortius cecidit, & victoriâ penes Regem stante, conversio rerum subitò facta & Angliæ pax & quies restituta. Corpus Montfortii fædum in modum dilaceratum est, ut Cadaver saltem pœnas viventi debitas persolveret. Quamvis non desint inepti aliqui, à quibus Princeps hic excommunicatus ut martyr evehitur, ideo etiam corpus ejus, jussu Clementis, exhumatum est, & omnia ea facta, quibus fictitia ejus sanctitas, & vana miracula ab aniculis asserta improbarentur.

✲(1266.)✲ Bendachar Sultanus Ægypti frustra Ptolemaidem tentat, Castrum autem Saphet capit, & cives Christum negare recusantes perfidiosè jugulat, & qui eos ad moriendum fortiter incitârant, duo Minoritæ, & Prior Templariorum, vivi excoriati sunt, quos verè Martyres esse lux Divina contestata est.

Carolus Andegavensis, retuso ad Beneventum Mansfredo, infesto invasore, regno Siciliæ ac Neapolitano potitur, Conradino tamen Friderici & Ex-Imperatoris nepote, utriusque regni titulum sibi adhuc contra Pontificis voluntatem arrogante.

Cor-

Corpus Mansfredi (sive Sultani Lucerini ut pii eum appellabant) in terrâ profan conditum & lapidibus obrutum est: uxor & filii in vinculis interîêre.

✲(1267.)✲ Conradinus cum exercit & Comite Friderico Austriæ Veronam ac cedit, ultrà autem tendere minis Pontificis prohibetur. Carolus Andegavensis inte reà cùm à Pontifice Imperii Vicarius con stitutus esset, Alphonsum inter & Richar dum pendente lite, non abstinuit, ut se oblato regno dignum exhiberet, divisis copiis partim in Apuliâ Luceriam à Sara cenis retentam obsidere, & partim Conra dino obsistere.

✲(1268.)✲ Christianis in Oriente mutuis se se armis conficientibus, Bendo char Sultanus Ægypti Antiochiam capit, cæsis in ea septendecim millibus, & aliis centum millibus in servitutem abductis.

In hac urbe Moniales Virgines ne libi dini Saracenorum objicerentur, sibi omnes præeunte Antistitâ, nasum præcide runt, quare ab impuris oppugnatoribus omnes cæsæ, ad cœlestis sponsi amplexus evolârunt.

Quinsay maxima orientis civitas, cen tum milliarium amplitudinis hoc anno a Tartaris capta cum tota Mangorum (sic

Tartari

Tartari Sinas appellant) regione; hanc Cobila Tartarorum Chamus in novem regna divisit, & singulis Reges vectigales imposuit, ut ipse Rex Regum diceretur.

Carolus Andegavensis Conradinum spernentem anathematis fulmen à Pontifice inflictum, pugnâ ad Tucinum lacum commissâ magnâ hostium strage editâ vincit. Conradus & Fridericus Calonum habitu fugientes ad Austram urbem Frangipanum dum annulum magni pretii vendunt, agniti, & ab insequentibus deprehensi ad Carolum perducti sunt: qui eodem loco monasterium in honorem S. Mariæ Victricis condidit, perpetuum suæ victoriæ monumentum.

Clemens IV. Papa moritur.

✲(1269.)✲ Paratur magna expeditio à Christianis Occidentalibus in Saracenos, S. Ludovico cæteris prælucente, & Eduardo Regis Angliæ fratre eandem magno cum fervore suscipiente. Pro eâdem se strenuè paravit Carolus Andegavensis, Siciliæ & Neapolis Rex, & nequid turbarum oriretur in regno suo, Conradinum Sveviæ, & Fridericum Austriæ Duces Neapoli ex juris formulâ publicè decapitari jussit, & utrique magnâ pompâ à tortore caput de-

messum est, & ambo terrâ profanâ sepul
quia excommunicatione innodati eran

Eodem adhuc anno Eduardus Angl
Regis frater cum magnis copiis in Syri
trajecit. Conscripta fuerunt pro hac
peditione quindecim millia equitum,
ducenta millia peditum. Alphonsus qu
que Arragonius navigavit in Orientem h
jus expeditionis partem ambiens, sed a
versis ventis repulsus ad suos rediit; nol
enim Deus à Rege adultero res suas pr
moveri.

✠(1270.)✠ S. Ludovicus Galliar
Rex cum exercitu in Africam venit, & S
racenos acie vincit, Carthaginem capi
Tunetum regni caput obsidet, sed peste
castris ortâ, & amisso filio Joanne, ipse
quoque lue afflatus, sanctissimè obiit. Co
sternatis hac morte Christianis Carolus S
ciliæ Rex cum copiis appellens, animos
reddidit; supervenit & mox Eduardus
Anglus, aliique, à quibus victus Rex Tune
tanus. Sed cùm lues utrumque exercitum
affligeret, pax inita est, utilior Carolo
quàm Christianis gloriosa.

Ossa S. Ludovici vino decocta (nondum
enim id ab Ecclesiâ prohibitum erat) in
Galliam translata sunt, atque in æde S.
Dionysii magnâ pietate servantur.

S. Lu

S. Ludovico succeſſit Philippus III. annorum 26. cognomento *Audax* ſeu *Cor Leonis*, cui duo fratres ſupererant, Petrus Comes Alenconius, & Robertus, ex quo ſtirps Borbonia defluxit, quæ hodie S. Ludovici ſanguinem & ſceptrum Francicum ſervat.

DECAS VIII.

Ab anno Chriſti 1270. ad 1280.

1271. POſtquam 30. menſibus Sedes vacâſſet S. Petri, in Pontificem eligitur Theobaldus Vice-Comes Placentinus, Archi-Diaconus Lugdunenſis, quo tempore in Ptolemaide verſabatur: hoc Pontifice exoptari non poterat melior & dignior.

Philippus III. Galliæ Rex non tantùm regni S. Ludovici, ſed etiam virtutum hæres Comitatum Toloſanum, Alphonſi morte ad ſe devolutum adjungit regno ſuo, fortiter repreſſis, qui eum legitimum hæredem eſſe negabant, aliaque præclara peragit pro Eccleſiâ.

Marcus Paulus Venetus, annos natus quindecim, cum patre Nicolao & Matthæo patruo, ſub auſpiciis Cobylæ filii Mangonis, magni Tartarorum Chami, totam Tartari-

am & Provincias Orientis perluſtrat; à qu
Occidens multa ante hæc tempora de h
regionibus incognita accepit.

✲(1272.)✲ Theobaldus ex Orien
redux Romæ in baſilicâ S. Petri coronatu
dictus Gregorius X, & ſtatim Generale
Concilium indicit, atque Græcos ad di
vitat, & inter Genuenſes ac Venetos pa
cem procurat, ut tantò meliùs res Palæſti
næ promoveret, quod his verbis promiſ
rat: *Si oblitus fuero tui Jeruſalem, oblivio
detur dextera mea.*

Henrico Angliæ Regi demortuo ſucce
dit Eduardus filius tùm Ptolemaidæ degens
ubi tantùm non interfectus eſt à Sicario A
virato, quem ei Sultanus Bondogaris in
miſerat. A vulnere curatus poſt annum
duos in Angliam redux Londini corona
tus eſt.

✲(1273.)✲ Gregorius X. locum Con
cilii Generalis Lugdunum aſſignat.

Electores Imperii juſſu Pontificis Gre
gorii X. Francofurtum conveniunt, & Ru
chardi atque Alphonſi Regis jure non ſa
tis aperto, eligunt in Regem Romanorum
Rudolphum Habſpurgenſem Comitem ab
ſentem tunc & in obſidione Baſileæ occu
patum: qui accepto nuncio mox Baſileæ
diſceſſit, obſidione ſolutâ, & cum viginti
mil-

millibus Francofurtum properavit, & so*luto* Electorum conventu, rectâ Aquisgranum perrexit, ubi 3. Kal. Octobris in Regem inunctus est: cúmque Proceres more majorum vellent Sacramentum dicere, nec Augustale Sceptrum (nescitur quo casu) adesset, Rudolphus arreptâ Cruce: *Ecce! signum, inquit, quo nos & totus mundus redemptus est; hoc signo loco sceptri utemur.* Dixit, simulque pium osculum appressit Cruci. Vox ea communi plausu accepta provocavit Principes, ut quisque lubens inter ejusdem Crucis basia fidem novo Regi addiceret. Antequam Aquisgranum discessit, regnum per affinitates firmavit, deditque in matrimonium filias, quas Rudolphus formâ & indole lectissimas habuit, Mechtildem Ludovico Palatino, Agnetem Alberto Saxoni, & Hedwigem Ottoni Brandeburgico, omnes secura pignora auspicati Imperii.

Ab hoc Rudolpho Austriaca profluxit domus, cùm is Ottocharo Rege Bohemiæ mortuo, Austriam Adalberto filio suo concessisset, eaque tandem eò pervenit, ut vix familiam ullam superiorem Austriacâ nominaveris. Neque tamen, ùt multi falluntur & fallunt, antequam Rudolphus Imperium obtineret, solis Habspurgi Helvetici finibus opes & potentiam suam angustabat.

Erat enim & Comes Habſpurgicus genere nobiliſſimâ & antiquiſſimâ, uti multi deducunt, ortum ſuum repetens à Carolo Magno, & majoribus ejus: & præterea Landgravius Alſatiæ, urbis Argentinenſis vexillifer: poſſidebat partem ditionis quam Sabaudus in Helvetiâ tenuerat: fuit Badenæ Dominus; item Moſpergi, Nybaugi, Winterturris, Mühlbergæ, Grezingæ, & Durlaci. Natus autem Habſpurgi anno Chriſti M.CC.XVIII. pridie Kalend. Maji, eodem tempore, quo Ertuculus Ottomanni primi Turcarum Sultani pater, ut veluti Moyſes Pharaoni, ita Rudolphus & Auſtriaca Gens Turcæ opponeretur. Pater ei fuit Albertus, cognomento *Sapiens*, qui in bello adverſùs Saracenos poſt multa fortiter geſta diem obiît, morbo, an hoſtili manu, incertum eſt; Mater fuit Hedwigis, ſoror Hartmanni ultimi Comitis Kyburgenſis, patrinus Fridericus II. Imperator: uxores duas habuit, Annam Comitiſſam Hochbergenſem, ex quâ ſeptem filios genuit, ac filias totidem. Dein Agnetem filiam Ducis Burgundiæ, ex quâ, quòd jam eſſet ſexagenario major, cùm duceret, nihil liberorum tulit. Pueritiam ſuam egreſſus, aulam adiît Friderici Imperatoris, ubi geſtorum dexteritate omnes

sui æstimatione implevit. Posthæc translatus in aulam Ottochari Regis Bohemiæ, primùm Præfectus palatii, mox summus equitum Ductor creatus adversùs Hungaros, quo pro Ducatu Stiriæ pugnatum est, victoriam non tam Bohemo, quàm sibi peperit, destinante ei Numine illas terras, quas tunc alteri occupabat. Interea, corpore Imperii omni malorum genere tabescente, ab eligendo novo capite petenda erat sanandi & levandi ratio, quod hoc demùm anno, adnitentibus Germaniæ Proceribus, & potissimùm Wernero Moguntino Antistite, magno consensu (excepto solo Ottocharo Bohemiæ Rege) præstitum est. Quod quàm benè & commodè, & auspice cœlo, ac præviis etiam præsagiis indicante, exitus comprobavit.

Cœptâ porrò administratione, mox publicæ consultum est securitati, latrocinia, rapinæ, & violentæ invasiones, quæ pro lege erant, sublata, tumultus sedati, veteres possessiones pluribus restitutæ, adeò ut memorent, in sola Thuringiâ sexaginta arces, latibula publicorum prædonum excisa esse. His & similibus fatalibus morbis, quibus Imperium tunc laborabat, à Capite Rudolpho medendum erat.

✲(1274.)✲ Concilium secundum Lug-

dunense celebratur, cui interfuêre Episcopi 560. Abbates & alii Prælati 500. præsentibus Græcis cum Patriarchis duobus Latinis, Constantinopolitano Pantaleone & Antiocheno Opizione, & Legatis Michaëlis Palæologi Græcorum Imperatoris qui processioni Spiritûs Sancti ex Patre & Filio, ac primatui Romani Pontificis concesserunt. Ad hoc Concilium evocatus fuit S. Thomas Aquinas, sed in itinere morte præventus est. In eodem quoque Concilio S. Bonaventura, paulò priùs purpura donatus, inter vivos esse desiit, laureâ Doctorali in cœlo donandus.

Redeuntibus ex Concilio Legatis cum Abbate Cassinensi Josephi impii Patriarchæ malitiâ, & Sacerdotum seductione populus à concordiâ cum Latinis revocatus est. Et quanquam Michaël Imperator minis, relegationibus, verberibus, excæcationibus in plerosque sæviret, nihil tamen profecit.

✠(1275.)✠ Bendachar Sultanus Ægypti fædè vastat & depopulatur Armeniam.

Christiani in Syriâ inter se dissident, sicque præcipitantem jam rem Christianam in Oriente ad exitium & interitum impellunt.

In

In Germaniâ celebratis Augustæ Vindelicorum Comitiis decernitur bellum contra Ottocarum Bohemiæ Regem, & Henricum Bavarum, quòd jura Imperii occupâssent, concedit quoque Rudolphus Pontifici Romano, quidquid in Exarchatu Ravennæ & Romaniâ, aliàs Flaminiâ dictâ, Imperii juris esset: à quo tempore constans & solida possessio fuit penès Pontifices Romanos.

Alphonsus Castellæ Rex convenit Pontificem in Galliâ morantem ad Belcairum in ripâ Rhodani situm oppidum, petiturus Imperium, ad quod olim ab aliquibus Germanis Principibus electus erat; Pontifex autem respondit: *Non magis æquum esse, Hispanos imperare Germanis, quàm jura dari Hispaniæ à Germanis.* Retinuit tamen hunc titulum aliquamdiù ob eligentium honorem.

✲(1276.)✲ Gregorius Papa X. moritur Arretii in Tusciâ, eique surrogatur primus ex Ordine S. Dominici insignis Theologus, atque Episcopus Ostiensis, Petrus, patriâ Tarentariensis è Burgundiâ, dictus Innocentius V. Qui, dum in Italiâ pacem conciliat, quinto sedis mense moritur, & succedit Othonus Fliscus natione Ligur, ex Diacono S. Hadriani nominatus

Hadrianus V, qui etiam obiit Viterbii po
dies 40, & electus est Petrus Juliani natio
ne Lusitanus, ex Episcopo Tusculano, vo
catus Joannes XX. ab aliis XXI.

Jacobus Arragoniæ Rex, cognomen
Præliator, ùt qui trigesies cum Mauris con
flixit, postquàm condidisset templa ad du
millia, moritur, cùm regnâsset annis 6
Cui Petrus ejus nominis III. successit, & a
ter filius, dictus Jacobus Majoricam acc
pit.

Puer sex mensium in Poloniâ prædic
reditum Tartarorum.

Michaël Palæologus Græcorum Impe
rator confirmat omnia in Lugdunensi Con
cilio II. probata, iisque tum ipse, tum fi
lius ejus Andronicus subscribit.

✲(1277.)✲ Bendachar Sultanus Ægy
pti Christianorum hostis infensissimus vul
neratur in pugnâ à Tartaris, & portatu
Damasum, ibidem profluvio ventris, &
hausto insuper veneno moritur. Cui Me
lechSaytus, longè dissimilis patri, succes
ideò exauctoratus ab Elsi quodam, qui a
substitutus est. Si tunc Christiani voluissent
trajicere in Syriam, spes magna fuisset re
Christianæ restituendæ.

Joannes XXI. Papa moritur Viterbii,
corruente Camerâ inter ligna & lapides
op-

oppressus, ægrè retractus intra sex dies exspiravit, & reliquit Sedem Joanni Cajetano, qui Romæ coronatus, & Nicolaus III. appellatus est.

Maria Hierosolymorum Regina omne suum jus in regnum concedit Carolo Siculo, & cum hoc inani titulo Carolus magnam odii & belli materiam acceptavit.

Rudolphus bellum auspicatur contra Ottocharum Regem Bohemiæ, qui vel æmulatione, vel contemptu novi Cæsaris, quem paulò antè inter aulæ suæ ministros aluerat, ejus Imperium detrectavit, & evocatus ad jurandam fidem, contumeliosa verba reddidit, & Austriam, Stiriam, Carinthiam ac Carniolam nullo jure tenebat; nam & Margaritham conjugem, quæ terras illas in dotem attulit, injustè repudiavit, & veneno insuper enecuit, & quòd essent feuda Imperii, defectu legitimi successoris, jam eò erant relapsa. Ad bellum itaque ventum est, quo cùm superior esset fortuna Cæsaris, Bohemus detumescere cœpit, & pacis leges acceptavit: *Ut Ottocharus Austriâ cedat, Stiriâ, vicinisque locis privatâ licentiâ occupatis, Bohemiam & Moraviam jure Beneficiario capessat à Cæsare, captivos sine pretio & obsides cum honore restituat.* Idq; unum ægrè, petenti datum, ne cogeretur

palàm inſpectante populo Sacramentum dicere. Paratur ergò tentorium in Danubii Inſulâ Lamberga, utcunque ab arbitris remota; Dictum Rudolpho adventare Ottocharum ſplendido apparatu, ſimulque quibuſdam additum, ut cultu ſe dignior pararet, ad talem Regem excipiendum: at ille renitens, *Imò*, inquit *Rex Bohemiæ ſæpè antehac criſeam meam veſtem deriſit, nunc ipſum veſtis mea criſea ridebit, vos verò armatos equos expedite, inſtructique, ùt ad pugnam ſitis.* Jamque ſubiêrat tentorium Rex, cum laxatis repentè funibus, ſive caſu, ſive (quod magìs creditu eſt) conſilio, Ottocharus adgeniculans omnium oculis, & Germanorum ludibrio exponitur; acerrimè ea res Bohemum uſſit, & intolerantiùs reducem exagitavit Kunegundis fœmina ſupra ſexum ferox & ambitioſa, quæ continuis probris deteſtata imbellem virum, in novum eum bellum impulit, anno ſequenti contra Rudolphum reſumendum.

Hermannus Italus hoc anno impiam animam evomit, auctor Fratricellorum. Tum antiquas hæreſes ab inferis revocavit, tum alias addidit: & quidem aſſeclæ ejus ſe tertii Ordinis Franciſcanorum eſſe jactabant. Hermannus autem vigeſimo poſt ſepulturam anno exhumatus eſt, ac crema-

tus

tus jussu Bonifacii Papæ VIII. à quo & Ordo ille extinctus est.

HÆRESIS HERMANNI ITALI DUCIS FRATRICELLORUM, QUI ET FRATRES DE PAUPERE VITA, ET BISOCHI DICTI SUNT.

1. *Docebant Fratricelli uxorum communitatem, & in suis conventibus, quos sub speluncis & latibulis agebant, post expletas suas pretentas preces, extinctis luminibus, cum ea quisque ferarum instar se commiscebat, quæ illi propior extitisset.*

2. *Si fœmina aliqua ex ejusmodi commixtione concipiebat, infans inde natus in speluncam deferebatur, ibique tam diu per manus omnium agitabatur, tradebatur, recipiebatur, quoad animam efflaret in alicujus manibus, quem eam ob rem pro suo summo Pontifice habebant.*

3. *Dicebant Fratricelli proprium nihil habendum esse.*

4. *Negabant respublicas à Christianis administrandas esse.*

5. *Denique ajebant Dei visionem animabus differri usque ad ultimum diem judicii.*

✲(1278.)✲ Ottocharus Bohemiæ Rex uxore instigante, redintegrato contra Rudolphum bello Austriam invadit, sed in prælio vincitur, ac cæditur cum quatuor-

decim millibus armatorum, non tamen abſque manifeſto periculo Rudolphi, equi cui is inſidebat, confoſſo. Quâ cæde magnoperè gaviſus eſt Ladislaus Hungariæ Rex, ab Ottocharo valdè infeſtatus. Poſt hæc Imperator in Bohemiam tranſiens, intercedentibus Principibus, Wenceslao Ottochari filio regnum paternum reliquit; Gutha Rudolphi filiâ in uxorem eidem datâ: Auſtria quoque cum vicinis locis à Cæſare magno Principum conſenſu permiſſa.

Nicolaus Papa edicit, ut nullus deinceps Senator Urbis, ſive Præfectus Romæ ex Regiâ nobilitate eligeretur, & ne plùs quàm annua, ampliſſima illa dignitas duraret, habebat enim eam multis annis Carolus Siciliæ: Hoc igitur edicto Nicolaus eam dignitatem in Carolo abrogavit.

✲(1279.)✲ Rudolphus ſuâ contentus Germaniâ, Italiam adire renuit, ac fugit tanquàm ſcopulum Imperatorum: cúmque identidem moneretur de eâ adeundâ, ſolebat reſpondere, ſe quidem ingredientium veſtigia notare, ſed pauca egredientium: dicere volebat, Imperatores ingreſſos Italiam, rarò inde ſine magnâ clade egreſſos eſſe; quo neglectu evenit, ut regnum Italiæ deinceps evaſerit ad eam libertatem, quam multæ civitates non ſine grandi pecuniâ

cuniâ à Cæsare redimere solent. Ut tamen Pontifici debitam reverentiam & submissionem exhiberet, in conventu Viennæ cum consensu omnium Principum Imperii confirmavit hoc anno per Auream Bullam Nicolao Papæ omnia privilegia & dona, quæ olim Gregorio & successoribus ejus collata erant.

Obiit hoc anno Boleslaus Poloniæ Rex religiosissimus, cognomento *Pudicus*, cùm ipse virgo Kingam seu Kunegundem uxorem virginem reliquisset.

✲(1280.)✲ Nicolaus III. apoplexiâ tactus moritur, & vacat Sedes mensibus sex, Cardinalibus in diversa distractis.

Refertur hoc anno incepisse conjurationem de Carolo & Francis è Siciliâ expellendis ob Francorum mores impudicos, & Siculorum insanam zelotypiam, totius conjurationis textore quodam Joanne Procidâ seu Prochytâ, viro sceleratissimo sub habitu Monachi cujusdam, ut perduellionem sacrilegio tegeret.

Albertus Magnus octogenarius Coloniæ finem docendi & vivendi facit.

Turcæ à Tartaris attriti resumptis viribus, quidquid Imperii Græcorum erat in Asiâ minore, occupant, terrasque subactas in septem Satrapias partiuntur a mari Pontico

tico & Galatiâ, usque ad mare Lycium & Carium, fluviumque Eumedontem.

DECAS IX.

✠ *Ab anno Christi 1280. ad 1290.* ✠

1281. CReatur Viterbii Summus Pontifex Simon de Bria Turonensis, qui in honorem S. Martini Turonensis dici voluit Martinus II.

Martinus Papa Carolo Andegavensi restituit Ecclesiæ Vicariatum, quem Nicolaus illi ademerat. Quo facto magis sibi à Carolo timuerunt Petrus Arragoniæ Rex, & Palæologus: præsertim cum terrâ marique Carolus exercitus immitteret, unde inimici Gallorum inceptam conspirationem contra Gallos ardentiùs urgere perrexerunt, Joanne Procidâ larvato Monacho triginta millia unciarum auri ad Petrum Arragonum deferente nomine Imperatoris Palæologi, ad cospirationis finem prosequendum.

✠(1282.)✠ Tartari Saracenos variè divexant, & vires diversis victoriis atterunt, absque tamen Christianorum emolumento, quos æquè dirè persequuntur.

Au-

Austria ab Imperatore Rudolpho datur Alberto filio : atque ab eo tempore permansit in familiâ Habspurgensium.

Moguntini in Judæos insurgunt,& multos interficiunt, reliquos bonis exuunt & ejiciunt; quorum exemplum multæ aliæ civitates secutæ sunt.

Sanctius Alphonsum patrem suum Castellæ Regem expellit è regno, quem contra jus sibi successorem destinârat, rejectis nepotibus suis hæredibus legitimis ; exceptus est miser ab Hispalensibus, & pecuniam atque auxilium à Rege Marochi & Mauro postulare compulsus , qui etiam ipsis generosior Christianis hostem suum juvit, ut factam humano generi contumeliam in filio ulcisceretur.

Contigerunt hoc anno famosissimæ vesperæ Siculæ,cùm, secretis initis consiliis, paratâ à Petro Arragoniæ Rege classe,specie invadendi Africam, & Palæologo Imperatore Græco aurum suppeditante, Siculi constituto tempore pulsationis campanarum ad vespertinas preces , ipso die Paschatis, qui fuit 30. dies Martii, omnes totâ Insulâ Gallos supra octo millia, inermes & nihil tale, tali maximè die cogitantes, nullo sexû , ætatis vel Ordinis habitâ ratione, tantâ crudelitate necârunt, ut etiam

tiam prægnantes ex Francis eviſcerare ne quid ſtirpis Francicæ in Siciliâ ſuperſet. Soli illi, quos Spirlinga arx munitiſſima protexit ab hoc ſanguinis Franci diluvio immunes fuerunt. Quo tempore Petrus Arragonius eò continuò cum claſſe advolans, Caroli Regis, qui tum in Hetruria aberat, navibus & regno potitur. Rexque Siciliæ ſalutatur, qui jam Conſtantiam Manfredi olim Regis Siculi filiam matrimonio, & ex eâ liberos habebat. Accurrit & Carolus audito nuncio, & Meſſinam aggreditur, ſed re infectâ recedit. Martinus Papa in tanti ſceleris ultionem Petrum excommunicat, eique etiam jus regni paterni abrogat, ac tribuit Carolo Valeſio filio minori Regis Franciæ, exſorore Regis Arragonii.

✲(1283.)✲ Carolo evocante ex Galliis auxilia ad Siciliam recuperandam, Petrus Arragonius imparem ſe Carolo videns, & longiùs ſibi auxilia petenda haud ignarus, dolum pro ſcuto arripuit, & ſpecie parcendi Chriſtiano ſanguini, provocat ad ſingulare certamen eâ lege æmulum, ut equitibus utrinque certantibus partis vincentis præmium eſſet Sicilia, infamia autem eſſet penes eum, qui pugnam detrectaret. Locus huic certamini deſignatus

eſt

est Burdegala, tunc Anglo Regi subdita: Hanc pugnam vehementer improbavit Martinus, impedire tamen non potuit, cùm eam unius fortitudo & alterius fraus exigeret. Sed pluris facere Petrum Siciliam, quàm honorem suum, sequens annus edocuit.

Michaël Palæologus Imperator Constantinopolitanus moritur, & quòd Ecclesiæ Romanæ faviſſent, à proprio filio Andronico sepulturâ sacrâ privatur.

Herbipoli in Germaniâ præsente Rudolpho & Imperatore Concilium celebratur, in quo Legatus Pontificius contributionem decimi denarii à Clero, & Imperator ab universo populo exigere cœperat.

Burdegalæ (ùt superiore anno conditum fuerat) Carolus à manè usque ad Vesperam adversarium suum opperuit, quo redeunte, & jam concubiâ nocte, Petrus coram urbis Præfecto adstitit, eique arma sua tradidit, atque incitatissimis equis in Arragoniam discessit, uxore interim in Siciliâ disponente, & regimen confirmante. Et sic meditatum hoc longè latè que famosum certamen evanuit.

✲(1284.)✲ Carolus Claudus filius Caroli Regis Siciliæ à Rogerio Làuriâ classis Arragoniæ Præfecto navali pugnâ superatur

ratur & capitur, quem Siculi mox capt damnârunt, & ejus sanguine Conradini m nibus litâssent, nìsi Constantia Petri ux eum morte subduxisset & ad virum sum in Catalauniam misisset, ut sic potiùs co jugis sui rebus, quam Siculorum odio v lificaretur.

Res Christianorum vergunt in exitiu in Syriâ ob Christianorum maximè disco regimen & jura diversa : Legato Pontif cio, Patriarchâ Hierosolymitano, Præf ctis Regum Franciæ, Angliæ, Siciliæ, Prin cipe Antiocheno, Comite Tripolitano, Hospitaliariis, Templariis, Teutonicis, Venetis, Genuensibus, Florentinis, Pisa nis, Armenis, Tartaris, singulis sua sti jura arrogantibus & propugnantibus; un de maximæ injustitiæ enatæ, & contes tiones armis dirimebantur, & scelera di mittebantur impunita, dum rei ab unâ in alteram ditionem demigrarent, etiam in eisdem urbibus, & in præcipuâ civitatum Ptolemaide, à tribunali ad tribunal alteri us potentiæ & juris appellarent; unde mi rum non fuit, tot, tamque discordes Terræ sanctæ propugnatores æquitatis & sanctitatis simul eversores in manus Sara cenorum, velut in ungues harpyiarum in cidisse & dilaceratos esse.

1285.

✲(1285.)✲ Moritur Carolus Siciliæ Rex ætatis anno 66. regni Siculi 20. Hierosolymitani 8. rectè magnus à suis appellatus sive bellandi artem, sive pietatem spectemus, quem sub finem vitæ calamitates majorem effecêre. Successorem reliquit filium Carolum Claudum Principem salernitanum captivum adhuc.

Obiit eodem anno Martinus IV. Papa, sanctitatem ejus testantur miracula quibus etiam post mortem claruit, sepultus Perusii, ubi ut sanctus colitur. Ibidem electus est Sabellus Coronatus apud S. Petrum & dictus Honorius IV. cui frater fuit Pandulphus, judex æquissimus, dictus terror malorum, dum ille decus bonorum, & præsidium vocaretur:

Petrus Arragonius alternis pugnis, cædibus & victoriis fatigatur à Philippo Francorum Rege & viribus atteritur: Philippus autem Galliæ Rex Perpiniani morbo ingravescente anno ætatis 40. regni 15. morti succumbit. Successorem relinquens Philippum IV. qui propter formosissimam corporis speciem dictus est *bellus* sive *Pulcher*.

Interiit haud diù pòst Petrus Arragonum Rex, dum in fratrem suum Jacobum Balearidum Regem, qui Francis faverat, bel-

bellum parat, ex vulnere uti creditum in insidiis recepto. Absolutus est morte ab anathemate per Archi-Episcopum Taraconensem. Quia tamen filio suo anathematis causam reliquit Siculi regni possessionem, hominibus quoque dubiam suæ salutem reliquit. Mox enim Honorius Papa Jacobum Siciliæ coronam arripientem ei communicavit.

Wenceslaus Rex Bohemiæ ductâ uxore filiâ Rudolphi Juthâ, vel ut alii, Judithâ vel Gutha Electoribus Principibus adnumeratur.

✲(1286.)✲ Henricus Rex Cypri, posso Prorege olim â Carolo misso, Rex Hierosolymæ coronatur Ptolemaide Rudolphus ab Honorio ad Imperii coronam evocatur, sed ille Imperatorum scopulum Italiam declinans, libertatem Italis urbibus pro pecuniâ vendit.

✲(1287.)✲ Honorius Papa moritur.

Tartari Poloniam crudelissimè vastant, Lesco Principe cum uxore & regni Proceribus in Hungariam fugiente.

Classis Francica iterum victa à Rogerio Lauria: multi nobiles & proceres capti, pretio redempti atque dimissi sunt. Præter Guidonem Simonis Monfortii nepotem, qui obiit in carcere Siculo, & maluit mori quam

quàm illicitæ Veneri servire, quæ morbo ejus unicum remedium judicabatur à Medicis. Martyr illustris castitatis.

✲(1288.)✲ Postquam sedes vacâsset decem menses eligitur in Papam Hieronymus Asculanus, Generalis Franciscanorum, Cardinalis Prænestinus, dictus Nicolaus VI. quo curante Carolus Claudus certis conditionibus liberatur è capitivitate Arragoniorum.

✲(1289.)✲ Saraceni Christianos de Principatu in Syria dissentientes vexant, & Tripolim occupant, cæsis septem millibus Christianorum, quas copias Pontifex paulò antè submiserat.

Carolus Claudus in die Pentecostes Siciliæ Rex coronatur Reate in Apulia, postquam eum Nicolaus Pontifex utriusque Siciliæ Regem tam citra, quàm extra Pharum renunciâsset. Acceptâ coronâ Carolus omnia pacta, quæ cum Arragonio coactus iniverat, irritavit. Jacobus ex Sicilia progressus Catanzanum Calabriæ impulit, ut à Carolo deficeret, & hanc urbem præsidio firmavit. Quod tamen statim Comes Attrebatensis obsedit. Eum dum Lauria cum Jacobo aggreditur, victi & fugati Gallis palmam cesserunt. Exinde biennales induciæ inter Carolum & Jacobum pactæ restitu-

restituto Catanzano. Et Carolus ut bo-
nus Paterfamilias regnum suumOrdinavi-
dictus ideo *Cunctator*, quia maluit pru-
denter cunctando res suas restituere, quas
ardenter accelerando iterum perdere.

✠(1290.)✠ Andronicus Græcorum
Imperator fratrem suum Constantinum
Porphyrogenitum omnibus acceptissimum
propter venustissimam indolem, cum fau-
tore suoMichaële *Strategopolio* in carcerem
conjicit: Unde Græcorum Imperium bi-
duobus præclaris belli ducibus destitutum,
qui impetus Turcarum suâ fortitudine re-
primebant, postmodùm ab iisdem Turcis
est labefactatum.

In Poloniâ Lesco Rege defuncto filii ejus
jus regnum scindunt.

Contigit hoc anno miraculum insigne
Parisiis, ubi Judæus quidam à Christiana
mulierculâ emptam sacram hostiam, mal-
leo & cultello, clavo, ac lanceâ transfixam
& inde magnâ copiâ sanguinis promanan-
te, in ignem conjecit: eamq; ex flammis se-
metipsam incolumem extollentem, ac per
cubiculum volitantem, demùm in bullien-
tis aquæ caldariam immisit, è quâ hostia
specie Crucifixi Judæo apparere cœpit, &
res à muliere superveniente detecta atque
Judæus impœnitens vivus combustus est.

sacra-

Sacratiſſima autem hoſtia hactenus illæſa & integra conſervata eſt in Eccleſia S. Joannis, & domus in qua hæc patrata ſunt converſa eſt in Eccleſiam & cænobium Fratrum Charitatis B. Mariæ Virginis ſub regula S. Auguſtini, vulgo dictum *Bulletarum* ab aqua bulliente in quam hoſtia conjecta eſt. Et oſtenduntur adhuc omnia miraculi hujus inſtrumenta in opprobrium Judæorum & Sacramentariorum.

DECAS X.

Ab anno 1290. ad annum 1300.

1291. LUctuoſus hic annus fuit Chriſtianis, quo Ptolomais non jam Chriſtianorum, ſed graſſatorum & ſceleratorum receptaculum obſeſſa eſt à Sultano Meleca Meſſer ſexaginta equitum, & peditum centum ſexaginta millibus, Nonis Aprilis. In hac urbe armatorum numerabantur ſupra triginta millia, incolarum plùs quadragies millibus: His omnibus præfectus erat Petrus (alii dicunt) Guilielmus Beliuſius Templariorum Magiſter, vir fortiſſimus, & cujus virtute urbs fortiter defenſa eſt. Verùm eo cæſo multiſque in Cyprum dilapſis, urbs tandem generali im-

pressione à Saracenis occupata est, direp-
ta & solo æquata Kal. Augusti. fugit Hen-
ricus Rex Cypri cum multis : plurimi dum
fugere conantur, depressis lintribus hau-
sunt mari, abducta captivorum 60. millia.
Moniales Clarissæ omnes sibi novaculis ne-
sum abscidêre, & sic deformatæ à barba-
ris jugulatæ sunt. His auditis Sidonii,
Beryti, & Tyri Christiani naves conscen-
dêre, & Syria penitus amissa est, cùm ces-
sum nonaginta duobus annis fuisset in po-
testate Europæorum : Et sic in ea vixisse
Christiani, ut maluerit Deus eam ab inim-
eis suis, & hominibus turpissimis inco-
quàm ab hominibus sibi consecratis pro-
phanari.

Ad hunc annum referunt quidam mira-
culosam translationem Domûs Nazarethi-
næ B. Mariæ Virginis ex Palæstina in co-
lem inter Tersactam & flumen oppida Da-
matiæ, manibus Angelorum factam.

Obiit hoc anno Rudolphus Romanorum
Rex in oppido Germersheim ad Spiram
anno ætatis 73. Imperii 18. Princeps cor-
poris animique dotibus excellens, & om-
ni ex parte meritissimus, sed hâc tamen
præcipuè, quòd sit Proto-parens Augu-
stissimæ Gentis Austriacæ, de quâ longè
veriùs dici potest, natam esse ad Imperium
Ro-

Romani Orbis, quàm olim de Gente Scipionum, natam esse ad vincendam Carthaginem, dum jam per aliquot sæcula Majestas Imperii in hac Gente triumphat.

✲(1292.)✲ Sexto mense post Rudolphi mortem ope Gerardi Moguntini Præsulis, sui consanguinei Adolphus Nassovius Francofurti in Imperatorem Romanorum eligitur, & inde mox Aquisgranum deductus cum Imaginâ conjuge suâ coronatur à Sigeberto Colonienſi.

Nicolaus IV. Papa Romæ moritur, post hujus obitum diutiùs vacavit Sedes, quàm Christiana Respublica tunc satìs turbata flagitabat.

✲(1293.)✲ Adolphus Imperator bello adoritur Albertum Austriæ Ducem Imperii competitorem.

Bellum grave exardescit inter Francos & Anglos levissimâ ex causâ, & propter duos homunciones, Nortmannum & Anglum bellum terrâ mariqúe gestum, propter quod Scriptores utrumqúe Regem damnant, Anglum contumaciæ & Francum cupiditatis.

Carolum inter Siciliæ, & Jacobum Aragoniæ Regem novum fœdus initum est; & Carolus quidem Perusium venit, ut dissidentes inter se de Pontifice eligendo Car-

dinales conciliaret, verùm dum acriùs eo urget, disjunxit magis animos ad concordiam paratos.

✲(1294.)✲ Judæi à Philippo Regeta Galliâ ejiciuntur, qui in Germaniam migrârunt. Unde etiam Rab: Elias in Tisb scribit, Judæos Germanos esse de radice, seu trunco Francorum.

In Summum Pontificem hoc anno eligitur Petrus de Morone, sic dictus, quia montem duobus millibus passuum distantem à Sulmone Eremita incoluit, is postea conditor fuit Congregationis S. Damiani, quæ posteà Ordo Cœlestinorum ab eo dicta est. Vitæ sanctitate illustris, selectus est omnium consensu, dum fugam arripere cogitat, à populo detentus, ornamenta Pontificalia propè per vim accepit, dictus Cœlestinus V. vir verè pius, qui nunquam equo vehi voluit, sed equitavit in asino ad exemplum Christi, & se ipsum minùs aptum existimavit ad hanc dignitatem. Quod sentiens Benedictus, Cardinalis Cajetanus, huic moribus dissimillimus, vir sagax, & rerum gerendarum gnarus, ad Pontificatum deponendum magis adhuc impulit per se jam pronum ad abdicandum. Falsa tamen ea sunt, quæ spargunturde vocibus à Benedicto per tubum ad

ad Papam immissis, simplicem & pium deterrentibus : hæc fingentium calumniæ sunt, ipse enim, frustra Carolo & universo populo reclamante, exuit Pontificis ornamenta, & edito publico instrumento fecit, quod omnis ætas admirata est, etiam miraculo firmatum, cùm die sequenti Cœlestinus claudum sanaverit. Potestate igitur Cardinalibus factâ, ei substitutus est Benedictus Cardinalis Cajetanus, dictus Bonifacius VIII. cùm VI. appellandus esset ob duos illegitimos intrusos.

Hoc anno Domus B. Virginis Nazarethana ex Illirico in agrum Recinetensem translata fertur in sylvam, quæ fuit divitis Laureiæ, & paucis post mensibus in locum tutiorem, & in agrum duorum fratrum; inter quos tamen, cùm esset exorta de donariis controversia, divinitùs transiit in hunc locum, ubi hodie visitur & colitur magno peregrinorum concursu.

Tariffa à Mauris obsidetur, & ab Alphonso Peresio Gusmanno fortiter propugnatur, filium enim suum ab obsidentibus captum, vidit ab hostibus jugulari, quibus etiam gladium suum ad id operis projecerat, & immutato vultu ad mensam, unde evocatus erat, & ad uxorem rediit. Quæ

constantia Mauros plùs retudit, quàm firmitas murorum & situs urbis.

✲(1295.)✲ Cùm aliqui legitimum Pontificatum Bonifacii in dubium revocarent, ne quis Petri Moronis simplicitate abuteretur, hunc latitantem perquiri jussit, & in castello Hernicorum munitissimo custodivit. Dicitur ei tunc vir sanctus prænunciâsse, moriturum ut canem, qui ascendisset ùt vulpes, & regnaret ùt leo. In hoc carcere ex aëris gravitate & situloci contracto apostemate Cœlestinus obiit (quidam, suadente Pontificis nepote, cui ù â mactatum esse ajunt) annno ætatis 81. a Clemente V. inter Sanctos relatus sub nomine Petri Confessoris, ne coleretur ut Martyr, magnâ sui successoris ignominiâ.

✲(1296.)✲ Bonifacio auctore pax inter Francos & Arragonios initur.

Rege Poloniæ Præmislao occiso succedit Ladislaus Coctius.

Errores Gerardi Sagarelli Parmensis, posteà combusti, hoc tempore disseminantur.

HÆRESIS GERARDI SAGARELLI PSEUDO-APOSTOLORUM DUCIS.

Sectarios suos Apostolos vocabat, præcipuè ob paupertatem, quam verè Apostolicam sectarentur. l. Vi.

1. *Vota omnia improbabat Sagarellus, & opera absque voto facta dicebat esse majoris meriti, quam quæ ex voto.*

2. *Juramentum omne Christianis dicebat esse nefarium.*

3. *Dicebant Pseudo-Apostolici isti sectæ suæ amplectendæ causâ, matrimonia dissolvi posse.*

4. *Apostolos nec habuisse, nec recepisse pecuniam, nec quicquam in crastinum servâsse; quin imo nihil horum Apostolis licuisse, aut Apostolorum successoribus licere, ac consequenter spem salutis adimi omnibus pecuniam recipientibus, aut aliquid in crastinum servantibus.*

5. *Ecclesiæ Romanæ Presbyteris decimas non esse persolvendas, Apostolorum paupertati hoc repugnare.*

6. *Ecclesias consecratas non esse magis idoneas ad orandum Deum, quam porcorum haras.*

7. *Se soli Christo, & nulli alteri ex hominibus subditos esse posse.*

✲(1297.)✲ S. Ludovicus Francorum Rex à Bonifacio Papâ canonizatur.

Robertus Siciliæ Rex Julantam Jacobi Arragonii ex Constantiâ filiam ducit uxorem: Et huic quoque reconciliati sunt Joannes Procida auctor Sicularum vesperarum, & Rogerius Lauria Archithalassus.

✲(1298.)✲ Bonifacius Papa animadvertens, quotidie Principes nova vectiga-

lia Sacerdotibus imponere, idque crebr
sine justâ causâ fieri, Concilio Lugduni ce
lebrato, interdixit, ne posthac id faceren
& ne Sacerdotes imposita conferrent ab
que jussu Romani Pontificis; quod magna
discordiæ causa fuit in Angliâ.

Adolphus Imperator odio factus om
nibus ob continuas Provinciarum invasio
nes & expilationes, ab Electoribus abdica
tur, & in ejus locum eligitur Albertus Dux
Austriæ, filius Rudolphi olim Imperato
ris. Et mox commisso prælio inter hos
Principes, Adolphus occiditur in agro
Spirensi, ubi valdè imprudenter Adolphus
se huic certamini commisit cum solis equi
tibus, & absque peditatu. Tunc ne Impe
rium Albertus invadere videretur, iterum
legitimè eligi voluit, & Aquisgrani coro
nari, ubi tanta multitudo convenit, ut Dux
Saxoniæ oppressus fuerit. Fuit autem
Adolphus melior Comes, quàm Cæsar, &
ita gessit Comitatum, ut dignus esset Im
perio, ita verò Imperium, ut nec Comita
tu dignus videretur. Operam suam loca
vit Eduardo Anglo, & Cæsar Regi extero
ùt stipendiarius meruit, pudendâ Majesta
tis prodigalitate, & sordidissimâ avaritiâ.
Posthabitis togatis, per militares viros au
lam rexit ut castra, subditos ut milites,

per-

perverſiſſimo ordine: accedentibus inſuper luxu, libidine, perfidiâ, crudelitate, Principum neglectu, tenuiorum contemptu, Magiſtratuum inſolentiâ, factum eſt, ut primùm plebis, mox & Principum odium in ſe converteret; quibus cauſis permoti Principes pro Alberto conſpirârunt, conjurati tamen pleriſque infelici fato extincti ſunt, & ipſe Albertus Imperator tandem à patrueli ſuo nefariè trucidatus eſt. Sic Deo plectente Regum ſcelera, quos homines plectere non poſſunt.

✲(1299.)✲ Pontifex recuſat confirmare Alberti Imperatoris electionem. Cùm autem Albertus cum Philippo Francorum Rege fœdus iniiſſet in Lotharingiâ, & conceſſiſſet Arelatenſe regnum (quod à morte Friderici tenebant Franci) deinceps omninò Francici juris futurum, Pontifex demùm annuit, & quidem, ùt Franci putant, nonniſi in odium Philippi pulchri, ita ut odium in Philippum prævaleret odio, quod Bonifacius habuit in Albertum.

Veneti vincuntur à Genuenſibus, duce Lambâ Auriâ ad Corcyram nigram, quandò Dandulus Dux illorum captus, ne triumpharetur, impactum caput in triremem effregit, idque non Chriſtianè ſatis.

Bellum Siculum hoc anno geſtum eſt

atrociſſimum : prælio navali victus eſt Fr
dericus â Rogerio Lariâ : itemque ter
ſtri, quo captus eſt Philippus Princeps T
rentinus, filius Caroli ; captus quoque J
annes Lauria Rogerii nepos, Meſſanæ
Juris formulâ capite mulctatus. Idèo p
truus ejus acerbiſſimè in captivos ſæv
multorumq; ſanguine ejus manibus lita

Tum Bonifacius prohibuit exco
Chriſtianorum cadavera, ut eorum o
deportarentur in patriam ; Cui conſti
tioni dicitur cauſam præbuiſſe Montan
cujuſdam ſordidiſſimi Doctoris avariti
ſed verior cauſa fuit, quòd ea conſuetu
pietati Chriſtianæ repugnare videretur.

✲(1300.)✲ Benedictus IV. Papa J
bilæum Univerſale indicit, ad quod R
mæ concurrunt ſupra ducenta millia ho
minum, tantæ tamen multitudini ad v
ctum nihil defuit.

Caſſanus Tartarus, iſque Chriſtianus
ut è manibus Saracenorum Terram ſan
ctam vindicaret, adversùs eos ducenta e
quitum peditumque millia eduxit, & oc
currentem ſibi ad Emeſam Sultanum Æ
gypti, nec non Syriæ Imperantem Melech
nazerum cum centum millibus, & pedi
tum innumerabili multitudine profligavit,
& univerſâ Syriâ potitus eſt, quam nullo

nego-

negotio Orientales Christiani recuperare potuissent, nisi mentem consiliumque perdidissent. Propter ortas verò in Persida turbas, rebellionem movente Baydone consanguineo suo, Cassanus redire compulsus, tradidit Damascum Sultano transfugæ Capiaco, eâ lege, ut hanc redderet Occidentalibus, si in Syriam copias suas adducerent: illi autem, dum tergiversantur, occasionem calvam esse agnoverunt.

Ad hunc annum referuntur Turcarum Ottomannorum Imperii initia, auctore scilicet Ottomanno, Græcis Osmane dicto, cui inter Duces Turcos sortitione Asiam minorem seu Natoliam dividentes, obvenit Bithynia: hic animo & corpore præcellens, Prusæ, longâ obsidione captæ, regiam sedem fixit, & favore Alatini, seu Azatinis Sultani Iconii ex parvis initiis magni Imperii fundamenta jecit: adoptatus porrò ab Aladino liberis carente, ei non successit, sed Vezirius Sahibas, quo sublato Osmanes dictus est *Chaner*, qui Turcis Rex est, vel summus Princeps, atque ab hoc anno decurrunt anni Imperii tantoperè Christianis ob ignaviam suam & simultates metuendi.

*
* *

HÆRESIS FLAGELLANTIUM

IN fine hujus Sæculi ponimus hanc hæresin quam Sathan procreavit jam anno 1273. caput suum vipereum insolentius extulit in cursu Sæculi sequentis : Dolus hujus hæresis sectatorum ejus erat pietatis ac mortificationis vultu crimina ac mendacia contegere, & quidquid verè sanctum abrogare.

1. *Virgis ac flagellis aculeatis acriter in se desæviebant, idque ajebant majoris esse ad delenda peccata efficacitatis, quàm confessionem ullam. Astutum sanè stratagema diaboli ad avocandos fideles à sacramento pœnitentiæ.*

2. *Putabant suam flagellationem esse martyrio æquiparandam, imò etiam præferendam, quòd ipsi suâ sponte funderent sanguinem suum, alii à tyranno compulsi.*

3. *Aquæ benedictæ nihil plùs, quàm alii cujuscunque aquæ inesse virtutis spargebant.*

4. *Baptismum aquæ cum baptismo sanguinis terminatum & commutatum esse.*

5. *Neminem posse Christianum esse, nisi suo sanguine per verberum ictus baptizetur.*

6. *Jam ab ipsorum Flagellantium adventu Evangelium Christi ad exitum perveniſſe.*

7. *Censebant licitum esse perjurium : vetus illud Priscillianistarum dictum crebro sermone usurpantes,*

Jura, perjura, secretum prodere noli.

SÆ-

SÆCULUM DECIMUM QUARTUM,

Continens res in Ecclesia memorabiles, quæ contigerunt ab anno Christi 1300. ad annum 1400.

DECAS I.

Ab anno Christi 1300. ad 1310.

1301. AD initium decimi quarti Sæculi Romanæ Catholicæ Ecclesiæ præfuit Bonifacius VIII. Sedem Constantinopolitanam tenuit Joannes Patriarcha, & hoc dignitati Patriarchali se abdicante, eidem restitutus est Athanasius.

Imperium Occidentis rexit Albertus Archi-Dux Austriæ, Orientis verò Andronicus II. Palæologus.

Reges potentissimorum regnorum erant

Galliæ & *Navarræ* Philippus IV. *Hispaniæ*, hoc est, *Arragoniæ*, *Legionis*, & *Castellæ*, ac simul *Siciliæ* Ferdinandus IV. Sanctii IV. filius. *Lusitaniæ* Dionysius Alphonsi III. filius. *Neapolis* Carolus II. Claudus. *Angliæ* Odoardus IV. *Bohemiæ* Uladislaus IV. qui simul fuit Rex *Poloniæ*, in locum Uladislai Loctici. *Hungariæ* Andreas Venetus. *Daniæ* Ericus VII, *Sveciæ* Brigerius II. *Norwegiæ* Aquinus II. *Tartarorum* Rex fuit Cassanus, sexennio antè ad fidem Christianam miraculosè conversus. *Turcarum* denique Rex Ottomannus I.

Hoc eodem anno inter Christianos Principes varia orta sunt dissidia. Et primò quidem inter Pontificem & Philippum IV. Galliæ Regem oritur acerrima contentio: causam huic incendio dedit Bernardus Episcopus Apamiensis, quem Bonifacius Legatum miserat ad Philippum, pro expeditione Hierosolymitanâ svadendâ; dum verò hic impotentiùs loquitur de Summi Pontificis auctoritate in temporalibus, ac Philippo tergiversanti minas depositionis intentaret, ejusdem Philippi jussu in carcerem Archi-Episcopi Narbonensis Metropolitani sui detrusus est, ut ab eo & Com-Provincialibus Episcopis de crimine perduellionis judicaretur, prolatis septem capiti-

pitibus, ex quibus accusatio coalesceret. His auditis Bonifacius, ùt erat ardentioris ingenii, eum carcere eximi jussit, additis minis anathematis& depositionis,quæ jam nutantem & iratum Philippum in furorem impulerunt: inde scriptæ utrimque epistolæ acerbæ. Ferunt etiam,Petrum Flottam nobilem Arvernam unguem utriq; fuisse in ulcere, meliorem scilicet militem, quàm Legatum. Philippus ergò pecunias ex Galliis Romam deferri vetat; Bonifacius gratias FrancicisRegibus à Pontificibus factas suspendit: utrobique inventi, qui facta suorum Principum defenderent, & adversarios accusarent. Et sic oleum abundè affusum est arsuro incendio.

InHungariâ turbæ excitatæ, ubi, mortuo Andreâ II. Rege sine prole, Proceres in electione novi Regis in diversas partes scissi, alii elegerunt Wenceslaum Bohemiæ Regem, & hoc recusante, Wenceslaum ejusdem filium: alii Ottonem Bavariæ Ducem, alii Carolum Martellum, Caroli Claudi, Regis Neapolis filium: unde nova bella, & vastationes regni secutæ, & quantumcunque Pontifex anathemata sua fulminaret, compescere non potuit dissidiis feroces animos. Imò Presbyteri quidam Hungari eò insaniæ venerunt, ut fulmina

in

in Pontificem retorquerent, eique aquâ & igne interdicerent, quorum audacia posteà gravibus pœnis coërcita est.

✠(1302.)✠ Hoc anno orta est societas *Catalanica* dicta, seu *Romania*, quæ conflata est ex pace Siculâ. Nempe Catalani, Genuenses, aliique Itali, quorum plerique erant Templarii, allatis secum ex Syriâ pecuniis, classem instruxerunt viginti triremium, quâ usque Constantinopolim omnia diripuerunt, & piraticam primò exercuerunt, deinde multis sibi Latinis adjunctis Macedoniam vastaverunt, & Comitem Brennæ Athenis imperantem occidêre, ejus ditionem cum Peloponneso occupantes, & ductis occisorum indigenarum uxoribus ibi sedem figentes. Hæc societas inferentibus damna & accipientibus Græcis & Latinis fuit fatalis.

Ischia Insula seu Ænaria dicta tantum sulphurei ignis evomuit, ut omnes suas Insulas cum animantibus & arboribus sepelierit: & mare pumicibus & cinere ad 200. millia passuum impleverit.

Flandri rebellant contra Regem Franciæ & ad Curtracum vicies mille pedites Flandri, & equites pauci, octo ferè equitum Gallorum millia, & peditum quadraginta millia deleverunt: visa fuit tanta cædes

des & tam inexspectata non ab homlnibus, sed â Deo curata esse. Auditâ tantâ cæde Philippus continuò exercitu reparato, Flandriam quidem ingressus est, sed propter pluvias redire compulsus ultionem tantùm spirâsse visus est. Sed & Bonifacius Anglos & Flandros aliunde concitâsse scribitur, &patrem esse desiisse in Philippum; quem filium rebellem & ingratum (utì ajebat) experiebatur.

Albertus Romanorum Rex jura persequitur adversùs Principes ac Præsules, qui ea sibi arrogârunt.

Mapheus & Guido Turrianus de Ducatu Mediolanensi disceptant, & hic priore excluso eodem potitur.

Carolus Martellus moritur, Hungariâ non potitus.

✲(1303.)✲ Ultrò citróque discordiarum Pontificem inter & Philippum incendiariis missis, Bonifacius tandem anathema fulminat contra Philippum: quo ille parùm territus, Párisiis conventum Doctorum ac Præsulum haberi jubet, in quo accusatus est Bonifacius à Plessiano nobili viro de nece Cœlestinì, intrusione illegitimâ in Sedem, aliisque etiam abominandis criminibus, quæ omnia tanquam ab exulceratis inimicis vel prorsùs confícta, vel quædam

supra

ſupra veritatem exaggerata, quanto majo-
re deteſtatione leguntur à bonis, tantò avi-
diùs & quovis favo dulciùs excipiuntur à
heterodoxis, & maſticantur plenis buccis
& regeruntur & eructantur. His ergo
criminum ſordibus ad conventum il-
lum collatis & depoſitis, ex eorum judicio,
qui conventui intererant, provocatum est
ad Capitulum generale, & Apoſtolicam Se-
dem cùm illa nacta eſſet legitimum Caput,
neque ſimile Bonifacio. Quæ cùm Pontifex didiciſſet, Romæ coram Cardinalibus
ſe de objectis criminibus purgavit, & cen-
ſuras in Philippum latas confirmavit, re-
gnum ſacris interdixit, academias docere
vetuit, Francos ſacramento fidei exſolvit,
& Franciam Alberto addixit, eundemque
cum Anglis & Flandris in eum immiſit, &
fecit, quæ irati facere poſſunt & ſolent.
Mittitur interea in Italiam Guilielmus No-
garetus de S. Felice nobilis Aquitanus,
cum Pleſſiano accuſatore viro forti & acer-
bo, ut acta vel decreta in conventu Pari-
ſienſi denunciarent. Hi communicatis
conſiliis cum Columnenſibus acerrimis ini-
micis Bonifacii, & adhibito ſibi adjutore
eorum audaciſſimo & infeliciſſimo *Sarrâ*,
ſeu *Schiarâ*, in Etruriam veniunt, ubi tre-
centos equites expeditiſſimos, & pedites

pau-

paucos, sed alacres scribunt, quibuscum Philippi nomen inclamantes, Anagniam irrumpunt, mussitante civitate, & Cardinalibus aut conniventibus, aut fugâ dilapsis Bonifacium jam mori paratum cum ornamentis Pontificiis in cathedra sedentem apprehendunt, ubi cùm eum audaciùs Nogaretus alloqueretur, Patarenum hunc vocavit, quòd ejus avus ob hæresin combustus esse diceretur: sed audacior & efferatior Sciarra, colaphum Pontifici infixisse armatâ manu, atque ad terram affixisse fertur, quod aliqui perperàm affingunt Nogareto, qui Pontificem tantùm in custodiâ retinendum esse putavit. Tribus diebus dilapsis, intra quos thesaurus Pontificis direptus est, Anagnini resumptis animis irruerunt in Francos, atque ex iis aliquot interemerunt: vexillum Philippi affixum Pontificis ædibus discerpserunt, & cum Romanis accurrentibus liberum eum Romam perduxerunt. Quod tamen aliqui scribunt ab ipsis Francis factum esse, vinctum eum Romam deducentibus. Sit ùt sit, Romæ statim in febrim ardentissimam incidit Bonifacius, & mortuus est 5. Idus Octob: cùm sedisset annis octo, mense uno. & diebus 22.

Audito Casu Bonifacii statim Carolus Si-

Siciliæ Rex cum mille quingentis equi-
bus& octo millibus peditum in auxilium S
Sedis accurrit,& ejus favore nixi Cardina-
les ſtatim elegêre F. Nicolaum Bocaſium
Dominicanum, qui nunquam Bonifacium
deſeruerat, Patre Opilione natum in agro
Tarviſino, virum eruditum & induſtrium.
Coronatus is eſt & appellatus Benedictus
XI. alias IX. dicendus. Ad hunc cum pau-
percula mater acceſſiſſet, ſplendidis orna-
ta veſtibus, eam negavit eſſe matrem ſuam,
vilibus autem pannis amictam amplexatus
eſt,& matrem agnovit. Ad Benedictum ſta-
tim Legatos Philippus miſit, & inter cæte-
ros Petrum de Bella-pertica Juris-Conſul-
tum magni nominis, quorũ operâ Pontifex
Regem & regnum reſtituit, Columnenſi-
bus pepercit, Nogaretum autem & Scia-
ram diro anathemate perculit. Et ut bo-
nus Pater ſimul ac fortis Judex ſe geſſit.

S. Ivo Juris-Conſultus advocatus Pu-
pillorum & viduarum Treborenſis Presby-
ter miraculis clarus moritur.

✲(1304.)✲ Benedictus XI. moritur
Perusii, ſublatus à Columnenſibus vel Flo-
rentinis per ficus veneno illitas: eo mor-
tuo ſciſſi ſunt Cardinales, aliis ſucceſſorem
Bonifacii, aliis Regis Philippi amicum op-
tantibus.

Phi-

Philippus duplici victoriâ Flandros vincit, navali mersis ac captis navibus 80. & decem millibus Flandrorum cæsis, & terrestri Duacum inter & Insulas ad montem Populeti ubi Rex ipse, cum 22. equitum & peditum 60. millibus, eos numero multo plures fortiter aggressus & feliciter cecîdit. Et sic pax tandem fuso multorum sanguine confecta est.

Cassano Tartarorum Rege Christiano mortuo succedit Campagadus, alii Carbandam nominant, frater Cassani & à fide mox apostata, sub quo tota Christianitas inter Tartaros concidit, sed & Tartarorum Imperium corruit, & Monarchia illorum divisa est in plures Hordas.

Otto Dux Bavariæ in Regem Hungariæ eligitur.

✲(1305.)✲ Eligitur Romanus Pontifex Bertrandus de Argutis, Archi-Episcopus Burdegalensis dictus Clemens V, amicus Bonifacii & olim inimicus Philippi, sed nunc spe Pontificatûs ei reconciliatus. Hic dum per urbem inveheretur Lugduni, muri ruinâ multi interiêrunt, & inter cæteros Joannes Brabantiæ Dux dum frænum Pontifici tenet cum Caroli Regis fratre, qui etiam graviter læsus est. Tunc translata est Avenione Pontificis sedes, & annis ibi-

ibidem 70. fixa permansit, ideoque ab Italis dicta captivitas Babylonica. Interfuit huic inaugurationi Philippus Franciæ Rex, qui etiam pleniſſimè iterum absolutus est.

Wenceslao Bohemiæ Regi mortuo succedit Wenceslaus filius 16. annorum, sed corroboratæ jam nequitiæ adolescens, propter quam Bohemiæ regnum perdidit & Polonicum non servavit.

✲(1306.)✲ Olomutii Wenceslaus Bohemiæ Rex interimitur & de ejus successione turbatur regnum, Polonis Uladislaum Locticum revocantibus & Alberto Cæsare Rudolphum filium Bohemiæ præficiente.

Clemens Papa V. Philippo Galliarum Regi, & Gallicanæ Ecclesiæ multas prærogativas indulget.

Equites Hospitalarii & Templarii Hugonem Regem Cypri deponunt, & in Armeniam ablegant.

Rebellant Parisini ob mutatam monetam, & ipse Rex obsidetur: seditiosi autem per nobiles conglobatos, aut ferro tolluntur, aut per tortorem laqueo suffocantur.

Robertus Bruscus ex Angliâ in Scotiam elapsus necato Cumeno in Regem Scotiæ coronatur. 1307.

✲(1307.)✲ Clemens præter alia multa pro Christianitate promovendâ præclarè gesta, in Andronicum Græcorum Imperatorem, veluti schismaticorum & hæreticorum fautorem anathema vibrat, quem mox Carolus Valesius bello appeturus erat.

Ludovicus cognomento Hutinus Philippi Regis Galliarum primogenitus Pampelonæ Rex Navarræ Coronatur.

Hoc anno incipit primum fœdus Helveticum ab Uriis & Suitiis & Unterunidis adversùs Austriacos non præfectos, sed tyrannos initum. Dicti autem sunt deinceps uno nomine Suitii *Les Suisses*, quòd apud eos primùm pro libertate pugnatum esset.

✲(1308.)✲ Albertus Imperator Romanus Badenam Rhinfeldâ pergens à Joanne Sveviæ Duce, & ex fratre nepote nefariè jugulatur : Causa parricidii fuit, quòd insano juvenculo (vix enim annum decimum tertium attigisse dicitur) visus fuerit bona diutiùs detinere. Corpus interim humatum, sed postea jussu Henrici VII. refossum Spiræ prope urnam Adolphi Cæsaris locatum est, ubi ambo vix palmum inter se distabant, qui tum viverent toto pænè orbe diffidebant. Percussores plerique tristi fato periêrunt. Joannes vagus

gus & inops jam mendici, jam mercatoris interdum agricolæ habitu tectus, post longos errores ab Henrico Cæsare Pisis perpetuo carceri mancipatus est. Rudolphus de Wart unà cum famulo Russelingo vivus in rotam actus. Walterus de Esserbach qui Regicidii svasor erat, & solùm spectator, per annos 35. in agro Wittenbergensi bubulcum mercenarium egit, ignoratus omnibus, donec se ipsum sub finem vitæ prodidit. Ulricus de Palm in suburbio Basileæ primùm latitans, tandem in arce suâ Altaburâ mœrore & inediâ contabuit. hunc exitum habuit regicidium, & exitium regicidarum.

Henricus VII. Successit Alberto Comes Luxenburgicus nobilior virtute quàm genere, magno Procerum consensu electus, à Clemente Pontifice ipso festo Trium Regum Aquisgrani coronatus. Hic Joannem filium, postquam is duxisset Elisabetham filiam Wenceslai Bohemi, Regni Bohemiæ hæredem fecit.

✲(1309.)✲ Carolo Claudo Rege Neapolis mortuo succedit filius Robertus, prætermisso Caroloberto, Caroli Martelli, primogeniti Caroli Claudi filio, sic Pontifice approbante, ut Carolobertus anno sequenti reciperetur in Regem Hungariæ.

1310.

✠(1310.)✠ Ad hunc annum referunt quidam extinctionem Ordinis Templariorum, quos non tantum Philippus Galliæ Rex, sed & alii Principes Christiani pleriq; oderant. Ut verò Ordo tanti nominis aboleretur hæc proxima causa fuit. Prior Montis Falconis in pago Tolosano cum Noffo quodam Florentino per magistrum conjectus in carcerem detexit crimina, & sacrilegia, quæ Templariorum domibus continebantur. Quare multi eorum vivi sunt exusti, & inter cœteros Joannes Mola magister Ordinis, quorum tamen ossa quidam ùt Martyrum collegerunt & coluerunt. Eos tamen Clemens (qui interrogandos curârat de 14. capitibus) apostatas, Idolatras & hæreticos professus est. Itaq; eorum ruinæ vera causa fuit rerum omnium abundantia, deliciarum & vitiorum mater.

Hospitaliarii Equites S. Joannis in Insula Cypri malè habiti à Rege, impetratâ ab Andronico Imperatore Græcorum Rhodo Insulâ, eam anno præcedente aggressi, hoc anno in suam potestatem redigunt in festo Virginis Assumptæ, Turcis ex eâ ejectis, qui inde Saracenos expulerant, & hi Græcos. Dux tam felicis expeditionis fuit Falco de Villeredo, Nobilis Gallus,

qui deinceps Dominus Maris, barbaris te
ribilis extitit. Ab hac Insulâ dicti sunt
quites Rhodiani & fortissimè eam prop
gnârunt altero pòst anno adversùs Turc
immenso exercitu eam cingentes, sed a
cti magnâ clade cedere coacti sunt. Du
tunc temporis existente Amedæo Sab
diæ Comite, qui propterea nomen
gni obtinuit, & Crucem albam in suo
mate retulit, cum his litteris F. E. R.
hoc est: *Fortitudo Ejus Rhodum Tenuit.*

Damnatio Bonifacii urgetur à Philip
Franciæ Rege, Nogareto & Guilie
Plessiano accusationem renovantibus,
contra Franciscum Cardinale Cajetano, B
nifacii ex fratre nepote, fortiter innoc
tiam propugnante. Renuit Clemens
actione, in quâ plùs odio, quàm ration
ageretur, judicem agere, & causam ta
gravis momenti, in quâ ageretur de Po
tifice declarando illegitimo & hæretico
ejusque ossibus exhumandis, ad Concili
Oecumenicum rejicit: sedatoque tandi
per Philippo, rem in Doctorum & Theo
logorum, eorumque maximâ ex parte
Gallorum conventu ventilat, eâque be
discussâ, Bonifacium Catholicum & leg
timum Pontificem declarat: & sic tande
calumniæ in eum conquieverunt. Vi
detur

detur etiam Deus innocentiam Bonifacii novissimo sæculo anno 1605. manifestare voluisse, quando corpus ejus repertum est integrum, præter labra noñihil corrupta & nasum, vestibus etiam Pontificiis prorsus illæsis & integris, inspectante universâ civitate Romanâ.

Clemens Papa Venetos, quód occupâssent Ferrariam sacris interdicit, eorumq; bona ubiqúe terrarum primò occupantis decernit: excitatis etiam in eos sacri belli militibus: à quibus victi Veneti veniam Avenione deprecantur per Franciscum Dantulum, qui injectâ in collum catenâ ferreâ tamdiù jacuit ad Clementis pedes, donec Venetias anathemate eximeret: quare à suis postmodùm canis cognominatus est, quòd tam diu ad pedes Pontificis jacuerit, multis irridentibus, multis sanioris mentis factum laudantibus.

Henricus Rex Romanorum cum exercitu venit in Italiam, ac primò Mediolani accipit coronam ferream, & Maphæum expulso Quidone restituit, sed mox ingens malum, Gibellinorum partes intermortuas suscitavit.

DECAS II.

Ab anno Christi 1310. ad 1320.

1311. HEnricus Italiæ urbes qua vi, q
minis sibi vendicat. Cui tam
Florentini & Bononienses fortiter obstit
runt.

Celebratur Concilium Viennense
Galliâ Oecumenicum à Clemente V. pr
sentibus Patriarchis Alexandrino & Anti
cheno Latini ritus, & 114. Episcopis cu
aliorum procuratoribus, numero 300. pr
ter Abbates & Doctores, Regem Franci
Philippum Pulchrum ejusque fratres
libros. Actum in hoc Concilio de recup
rando terra sancta, de Templariorum Ord
ne penitùs supprimendo. Constitutum,
festum Corporis Christi celebretur fer
quintâ post Dominicam Trinitatis. Sta
tutum ut in præcipuis Orbis Universitat
bus alantur publici Professores linguæ
Hebraicæ, Græcæ, Chaldaicæ, Arabicæ, in
conversionem & instructionem infidelium
in iis partibus. Condemnati denique
hæretici Beguardi, & Beguini ac Beguinæ
fœminæ, Dulcinus & Dulciniſtæ.

HÆRE-

HÆRESIS BEGUARDORUM ET ALIORUM QUI BEGUINI AC BEGUINÆ DICTI SUNT.

VItam profitebantur monasticam secundùm habitum, habitationem conventualem, & nonnullam triùm votorum religiosorum speciem cum multis ceremoniis ac gestibus externis conjunctam, à fœminarum tamen societate neutiquam abstinebant, neque deliciis? imò solenne illis erat opiparè parata sectari convivia, cui studio mirè concinnebant varii quos tuebantur errores.

1. *Credebant hominem in hac vitâ posse sibi ultimam beatitudinem comparare, & quidem secundùm omnes perfectionis gradus, quibus in cœlesti patria perfruetur.*

2. *Omnem naturam intellectualem esse in se naturaliter beatam, non autem gratiâ Dei, ullo-que supernaturali lumine gloriæ.*

3. *Esse quidem peccatum mortale osculari fœminam, quòd natura (sic illi argutabantur) hominem ad id minimè impellat, atque inclinet, nihil tamen esse peccati, si quis in calore concupiscentiæ positus, cum eâ carnaliter commisceatur, quia tunc natura impellit. Sic nimirum solet ludificare Sathan, gravissima proponendo ut minima & subinde minora ut maxima, eo fine ut in ea, quæ reipsâ gravissima sunt, inducat.*

4. *Hominem in statu perfectionis, & in spiri-*

tu libertatis constitutum nulli humanæ obedi-
tiæ debere se subjicere.

5. Inferebant ex errore antecedente im-
nitatem à jejuniis Ecclesiasticis.

6. Delirabant, hominem, quando statum p-
fectionis attigit, nec jejunare debere, nec Deum
rare, quandoquidem, ajebant, sensu rationis
dito, concedi potest corpori quicquid lubuerit.

7. Imperfecti hominis esse dicebant, se
virtutis studio exercere, causantes, quòd anim
hoc studio virtutes à se abigat, & hinc infe-
bant homini perfecto, nulla amplius bona op
facienda esse.

8. Hominem posse in hac vitâ tantam virtu-
tis perfectionem assequi, ut amplius peccare n
queat, neque etiam in gratiâ proficere.

9. Ad elevationem vel expositionem S
Eucharistiæ non esse ullam faciendam reveren
tiam, eò quòd imperfectio esset, altitudine co
templationis indignâ, attendere ad mysteriu
Humanitatis JESU Christi, & ad Eucharist
Sacramentum.

Quod Beguinas attinet, ajebant, se honeste vi-
vere & religiosè, nullius tamen voti vinculo
alligantes, neque se facultatibus suis tempora-
bus abdicantes, quin etiam ejusmodi societate
pro arbitratu suo deserentes. De cætero præ-
dictas hæreses Beguardorum participabant, ideoque
eodem anathemate damnatæ ab Ecclesiâ.

Be-

Beguini distincti à Beguardis persvadebant sibi eos perfectioni Evangelicæ adversari, qui aliquid in commune habeant, quandoquidem JEsus Christus, & Apostoli nihil habuerunt, neque in communi, neque in particulari: item summum Pontificem non posse dispensare in regulâ S. Francisci vel in votis illius Ordinis neque Fratribus Minoribus potestatem facere in alium Ordinem migrandi; Unde inferebant Joannem XXII. suâ potestate excidisse, quòd supra auctoritatem suam illis permisisset, habere frumentũ in horreis, ac vinum in cellâ ad vivendum in communi. Spargebant etiam statum Fratrum Minorum esse perfectiorem statu Episcoporum, denique asserebant Papam non posse in voto simplici dispensare, nequidem pro bono pacis, vel nationis alicujus ad fidem convertendæ causâ: & ut hæresin suam alto silentio velarent, dicebant, nullam esse impositam necessitatem respondendi inquisitoribus ad eorum interrogata.

DE HÆRESI DULCINI ET DULCINISTARUM.

INfernus hanc pestem excitavit, omnis enim scopus hujus abominabilis sectæ fuit, ut omni se luxurie ac spurcitiâ oblectarent, ejus sectarii, prætexentes charitatem communem, & odium proprietatis, quo factum est, ut suis istis fucatæ suavitatis artificiis Dulcinus utriusque sexûs assectas ad sex millia congregârit, quos in Alpi-

bus commorantes ad belluinam cohabitationem induxerat & talem turpitudinem præclarâ charitatis & communitatis larvâ contegere docuerat.

DE TEMPLARIIS.

TEmplariorum Ordo sanctè institutus fuerat, verùm ubi diù in sancti sui instituti observatione perseverârunt, invidit spiritus superbiæ Christianitati tot quot inde eveniebant emolumenta ad infidelium conversiones. Et primùm quidem avocavit illos ab Hierosolymitani Patriarchæ obedientiâ, & impulit ad Ecclesiæ possessiones iniquè turbandas. Quam ob causam aliaque adhuc crimina condemnati & igne digni habiti sunt Clementis V. aliorumque Patrum in Concilio generali Viennæ in Galliâ congregatorum sententiâ. Posteà verò Rex Philippus eorum memoriam penitùs delevit, combusto Parisiis eorum Magistro cum aliis multis, qui tamen errores ac crimina, quorum rei facti fuerant, diffitebantur.

1. Dicebantur abnegâsse Jesum Christum, & cum Saracenis conspirasse.

2. JESU Christi Crucem conspuisse.

3. Falsam & profanam edere professionem.

4. Magistrum suum clanculùm ordinare.

5. Auctores fuisse receptæ à Turcis & Saracenis Terræ sanctæ.

6. Peccato naturæ contrario se se conspurcare.

7 Ite-

7. *Idolum quoddam adorare, quod hominis cute vestiebant, & duobus carbunculis oculorum instar adornabant.*

8. *Mortuorum suorum corpora in cinerem redigere, eoque suos assectatores potare, ad ipsos in suâ dementiâ confirmandos.*

9. *Infantem ex Templario & virgine progenitum torrere, & inde promanante liquore suum idolum inungere.*

Et hæc quidem crimina objiciebantur Templariis, quæ, an omnia vera fuerint, dubitant graves auctores, sufficit eos tales fuisse, qui dignos se exhibuerint, ut Concilii generalis sententiâ tanquam Ecclesiæ hostes exscinderentur.

✲(1312.)✲ Henricus Imperator Occidentis Romam venit, ibique aureâ coronâ insignitur,

Andronicus Imperator Orientis implorat auxilia Principum contra Turcas, à quibus graviter premebatur.

Ferdinandus Castellæ Rex à Carvajalibus fratribus, quos homicidii suspectos, non tamen convictos, è rupe præcipitari jusserat, ad Tribunal Divinum intra 38. dies provocatus, moritur, intra hos dies, & ideò dicitur *in jus vocatus.*

Societas Catalana distrahitur & turbatur domestico bello inter Entenzam & Roccafortium, in quo ille occubuit, hic à Præ-

fecto Eubææ interceptus, in Siciliam de-ductus est, ubi in carcere obiit. Vastabant hi socii nullo commodo Christianitatis Macedoniam, Thessaliam, Achaiam & Athenas: omnibus noxii, nulli fideles & utiles.

✲(1313.)✲ Henricus VII. Imperator Romanorum, dum adversùs Robertum Siculum Fridericum æmulum susciţâsset, morte inopinatâ abripitur, ætatis anno 51. Imperii 5. Errant, qui dicunt, mortem ei acceleratam esse venenatâ hostiâ aut ablutione toxicatâ ei oblatâ per F. Bernardum aut Joannem Politianum Dominicanos: hæc calumnia est in sacrum Ordinem malitiosè conficta.

In Franciâ Rex Philippus & Eduardus V. Rex Angliæ cum multis Proceribus accipiunt Crucem, imò & uxores pro expeditione sanctâ contra Turcas in Palæstinâ.

Inventa est hoc anno apud Quadatupam imago Beatæ Virginis, missa à S. Gregorio Papâ ad Leandrum Præsulem Hispalensem, quæ Saracenorum metu abscondita, incipit multis miraculis claresce re.

✲(1314.)✲ Philes Palæologus Andronici Græcorum Imperatoris cognatus paucis copiis Turcas superat, & animos Græcorum restituit.

Clemens V. Papa apud montem Mau-

ram

ram super Rhodanum Diœceſis Nemauſenſis in itinere Burdegalam versùs moritur, de cujus ſucceſſore eligendo Cardinales diſtrahuntur, utì & Electores in eligendo Imperatore, quorum una pars Ludovicum Bavarum, altera Fridericum Auſtriacum elegit.

Obiit hoc anno Philippus Pulcher Galliæ Rex anno ætatis 46. regni 30. ex morbo diuturno, ſed Medicis ignoto. Succedit eidem Ludovicus filius jam antè Navarræ Rex, hujus nominis X. cognomento Hutinus, hoc eſt, rixoſus.

✲(1315.)✲ Sedes Romana etiam hoc anno vacat.

Robertus Siciliam invadit, nullo operæ pretio, uno tantùm oppido capto, & pactis in triennium induciis.

Scoti de Anglis nobilem victoriam reportant, cùm hi in exercitu 300. armatorum millia numerarent, & Scoti vix 30. millia duxiſſent, ſed milites induratos, & ritè Sacramentis ante pugnam munitos. Cæſi ſunt Anglorum 50. millia, & ægrè naviculâ fugit Eduardus. Robertus Scotorum Dux hujus victoriæ præmium ſibi retulit Scotiæ regnum, & Anglorum inſuper ferox ſuperbia retuſa eſt.

Inſtituitur Pariſiis actus Sorbonicus, a-

ctus magnus ex Theologiâ universâ à Francisco Mayro Minorita.

Grassatur pestis atrox per Europam.

✲(1316.)✲ Lugduni eligitur in Pontificem Jacobus de Ossa Cardinalis Portuensis, dictus Joannes XXII. aliis XXI. sed verè XX. patriâ Cadurcensis, ignobili patre natus veteramentario, parvo corpore, sed magno animo, ac septuagenario major.

Ludovicus Hutinus Rex Galliæ annos natus 27. subitâ morte, & ùt creditum est, veneno in castro Viennarum extinguitur: Succcssit eidem Philippus cognomento Longus, frater Ludovici X. qui tunc modò agnitus est, & pro Rege coronatus, quandò Clementia gravida peperit posthumum Joannem I. dictum, isque post paucos dies à nativitate suâ mortuus est.

Ludovicus Bavarus petit confirmationem suæ electionis à Joanne XXII. non tamen impetrat, ob causam Friderici Austriaci necdum satis perspectam post quatuordecim enim mensium interregnum duo Cæsares erant, Fridericus Pulcher Dux Austriæ, & Ludovicus Bavarus, uter jure? altioris curæ est. Uterque coronatus est, Austriacus Bonnæ à Colonienſi, Bavarus Aquisgrani à Trevirensi Archi-Episcopo, vel, ùt aliqui scribunt, à Mogun-

guntino. Ambo igitur se se pro Cæsare gerere, ambo à partibus coli, etsi non defuerint, qui utrumque aspernarentur; bellum inde civile & atroces turbæ lacerârunt Imperium; Cæsare in Cæsarem, Germaniâ in Germaniam armatâ. Pugnatum est primò ad Eslingam Sveviæ oppidum, pari virtute, communi clade, neutrius victori â, demùm in campis Amphingensibus prope Mühldorffium, in quo prælio Fridericus postquam quinquagenos cecîdisset suâ manu, venit tandem in manus hostis, & captus Traunitii, quæ in Naniscis arx est, in custodiam datus, non tanquam in carcerem sed velut in requiem ab Augustis curis. Triennio pòst, qui erat annus Christi 1325 redditus libertati, &, ùt quidam tradunt. etiam Imperio, ut cum Bavaro divisâ potestate præesset iste Italiæ, & ille Germaniæ, etsi multi, eo pacto dimissum esse, scribant, ne Rempublicam deinceps attingeret. Fides rei gestæ pendet à tabulis publicis, quas utrique afferunt pro suâ parte. Fridericus saltem non diù superfuit extinctus anno Christi 1330. vel veneno vel lenta tabe & sepultus in Cœnobio Maurbacensi & tunc quidem Ludovicus solus Imperium obtinuit & gubernavit varia tempestate jactatus, sed & ipse quoque

tempestatum atque turbarum concitator.

✲(1317.)✲ Joannes Papa jubet Constitutiones Clementinas explicari in scholis. Disceptant cum eo Minoritæ propter suam paupertatem, qui labor tum Pontificiis Minoritis fuit major, quàm unius anni, & non unius, sed plurimarum molestiarum, etiam cum infamiâ & interitu quorundam non verè religiosorum vel in Spiritu Sancto zelatorum. Idem Joannes Anglicanas & Scoticas rixas componere satagit sed irrito conatu, eoquòd pax inita visa fuerit Scotis pernicioſa. Interim Britannicæ Insulæ bello ardent, & Anglia vastatur.

Robertus Siciliam pænè totam desolatam reddit, Friderico ei non auso resistere, eâque totâ potitus esset, nisi Pontifex impediviſſet, qui præoptabat hanc insulam dari & non occupari.

✲(1318.)✲ Aliqui Minoritæ nimio zelo paupertatis suæ ardentes & rebelles facti, secedunt in Siciliam, ibique Generalem sibi eligunt apostatam Henricum de Ceva, & erronea quædam docentes ab inquisitione graviter puniuntur.

Propter Pontificis ex Italiâ absentiam, variæ turbæ in Italiâ exoriuntur, Maphæo

Vice-

Vice-Comite & Duce Mediolanensi, aliisq; civitatibus contra Pontificem rebellantibus; ut quàm utilis fuit Gallis Pontificis præsentia, tam perniciosa fuerit ejus absentia Italis & Ecclesiæ.

✲(1319.)✲ Expeditio Castellanorum in Mauros malè cedit.

Jacobus Arragoniæ Rex regno se abdicat.

In Lusitaniâ inter Patrem Dionysium & Alphonsum filium certatur, neque pax procurata nisi precibus S. Elisabethæ matris Alphonsi, & singulari prudentiâ patris cum filio patientiâ magis quàm ferro disceptantis.

Ordo Montis Oliveti institutus à Bernardo Ptolemæo Senensi nobili Juris-Consulto.

✲(1320.)✲ Constantinopoli depositio Joanni Clyci Patriarchæ sufficitur ab Imperatore Gerasimus monachus ignarus, & præsenio surdaster, hos enim volebat Imperator Præsules suos, qui nec auribus nec intelligentiâ valebant.

Uladislaus Locticus operâ Pontificis Rex Poloniæ coronatur. Et Pontifici offert S. Petri denarium capitatim.

Turcæ Cherſone occupatâ excurrunt in Thraciam.

DE-

DECAS III.

Ab anno 1320. ad annum 1330.

1321. ANdronicus Junior nepos Andronici senioris ex Michaële filio in avum rebellat, & copias conscribit prætextu ad Turcarum excursiones reprimendas : quem dolum non expertus est Imperator priùs quàm equus S. Georgii in pariete depictus adhinniret, uti fecerat quando Balduinus urbe depulsus est. Occasione autem istius dissidii Turcæ in suum commodum egregiè usi sunt.

Ludovico Bavaro & Friderico Austrio de Imperio disceptantibus Imperium fædè laceratur & ubique turbatur.

Damnatus est à Joanne XXII. Pontifice Joannes de Poliaco Theologus Parisiensis, quòd ausus esset temerariè docere confessiones religiosis factas iterandas esse Parocho, neque Pontificem dare posse iis facultatem, ut tempore Paschali alteri, quàm Ecclesiæ suæ proprio Parocho, confiterentur : quos errores retractavit.

(1322.) Moritur Philippus Longus Rex Galliæ, cui succedit Carolus frater ejusdem cognomento Pulcher : Fride-

ricus

ricus & Ludovicus Imperatores grandi prælio inter se confligunt. Et penes hunc stat victoria, Friderico & ejusdem fratre Henrico captis.

✲(1323.)✲ Initio hujus anni fœdus inter Francos, Venetos & Pontificem initum adversùs Turcas Ægeum mare infestantes.

Joannes Pontifex Ludovicum Imperatorem condemnat, & jubet Imperio abdicare, hic autem appellat ad Concilium Generale, & ad Papam hac de re modò meliùs edocendum, sed ob id anathemate innodatur.

Legatus Pontificis cum Venetis paratâ ingenti classe trajicit in Asiam & Smyrnam barbaris eripit, multaque fortiter gerit, donec omnes Turcarum insidiis intercepti pro fide fortiter interîêre, morte suâ quàm victoriis fortunatiores.

Parisiis S. Elzearius Comes cum uxore suâ nobili virgine Delphina illæsâ virginitate in matrimonio servatâ sanctè obit.

Æthna Siciliæ mons cum magno terræ motu subsidit, & ejectis ignibus viciniam vastat, & flante Boreâ usque ad Melitam insulam cineres evomit.

✲(1324.)✲ Franci Anglos in Aquitaniâ rebellantes profligant, ac pariter Sco-

ni

ti in Angliâ eoſdem repetitis prælliis debellant.

Turcæ Thraciam & Mecedoniam vaſtant, & civitates Aſiæ penè omnes, quæ Græcis ſupererant capiunt.

Ludovicus Bavarus contra Joannem XXII. acerbis ſcriptis debacchatur per Joannem Jandunum Peruſinum, & Marſilium de Menandrio Patavinum, Doctores hæreticos, quibus animi & calami erant venales. His alii quoque impliciti quidam, qui igne poſtmodùm conſumpti ſunt, quòd hæreſes docerent multis erroribus permixtas. Etiam Ochamus vir acerrimi ingenii calamum acuit in Pontificem, qui dixiſſe fertur: *O Imperator tu me gladio defende à Papæ injuriis, & ego te verbis ac ſcriptis defendam.* His autem Deus oppoſuit præſtantiſſimos viros Alexandrum de S. Elpidio Ravennatem Archi-Epiſcopum Auguſtinianum, Pelagium Alvarum Minoritam Hiſpanum, Petrum Paludanum Dominicanum, magnos Eccleſiæ & Pontificis propugnatores.

✲(1325.)✲ Renovatis inter avum & nepotem Andronicos diſſidiis, deſperans ſenex, hunc inungi jubet, eiq; dat uxorē Beatricem Sabaudam, quam Græci Annam vocant, odio in amorem ex neceſſitate converſo. Ludo-

Ludovicus Bavarus & Fridericus Austriacus conveniunt inter se, ut huic Germania & illi Italia cederet, atque his pactis Fridericus è captivitate liber emissus est; Hoc tamen fœdus Electores & Pontifex improbavêre, rescissis juramentis, nec profuerunt pacta aliter quàm ad Friderici libertatem.

Moritur Carolus Valesius patruus trium Galliæ Regum, Ludovici Hutini, Philippi Pulchri, & Caroli Valesii, tactus apoplexiâ pœnitens tamen de morte illatâ Engerrano Marinio ærarii regii Præfecto, quem de peculatu falsò accusatum in patibulo suspendi jusserat. Cui etiam morti jam propinquus funus honorificum fieri mandavit, & preces pro utroque ab inopibus fundi, etiam præmisso Martinii nomine. Sic nimirùm Principes & magni viri, aliter vivi, & aliter morituri de rebus suis ac salute sentiunt.

✻(1326.)✻ Joannes Pontifex invitatur à Romanis, ut redeat Romam, ibique sedem figat Avenione relictâ, eoque reditum excusante propter senium, ii evocant Romam Ludovicum Bavarum. Misit quidem Joannes Papa Romam Legatum suum & Carolum Calabriæ Ducem cum copiis, sed delusit hos Castrucius Castracanis Lucensis

censis Tyrannnus, & arma & anathema irrisit a Legato Pontificio inflicta, ut qui jam pridem vile dæmonis mancipium esse nihili ducebat.

Graviſſimis motibus turbatur Angliæ Iſabellâ cum filio (erat Iſabella uxor Regis Angliæ, ſed alienis amoribus implicata cum Rogerio *de mortuo-mari*, & ſeparata) magno cum exercitu trajicientibus in Angliam, cui ſe Proceres & Populus mox adjunxêre, Rex ipſe captus, & Spenſerii atroci ſupplicio ſublati, Walterius Stapletonius à populo Londinenſi diſcerptus. Adhæc in Comitiis depoſitus Eduardus, filius Eduardus ei ſubſtitutus, quibus omnibus acquievit pater, id ſuis peccatis imputans; Iſabellâ interim ejulante & lachrymante, cujus tamen dolores pauci non riſerunt. Deniq́ue à cuſtodibus ſuis Eduardus ſenior necatus eſt, immiſſâ in podicem corneâ fiſtulâ, & per eam ignito veru in inteſtina, ne vulneris veſtigia conſpicerentur. Horum omnium author creditus eſt Rogerius *de mortuo-mari*, putatus adulter Iſabellæ, ex æquo crudelis & libidinoſus, quæ vitia verè cognata ſunt.

✠(1327.)✠ Ludovicus Bavarus Italiam ingreditur, ad quem confluunt omnes rebelles, Apoſtatæ, ſchiſmatici, hæretici, excom-

excommunicati, quibus præcellebat Magister Ordinis Teutonicorum. Mediolanum pervenit 3. Idus Maji, & hìc à schismaticis & excommunicatis Præsulibus coronatus coronâ ferreâ, in carcerem conjecit vice-Comites Galeatium & fratres, falsi criminis, paratique in ipsum veneni accusatos. Inde Romam versùs intendit iter, petitque à Joanne Coronam Imperii, quam hic fortiter recusavit, sed potiùs eum deposuit, & anathemate feriit cum suis; Neque tamen illi resistere potuerunt Robertus Siculus, nec Carolus Dux Calabriæ: ille enim Ludovicum Româ prohibere non potuit, Romanis opem denegantibus, quam erant polliciti, & hic Florentinos, quos opibus spoliârat, flagitiosè deseruit, relicto tantùm iis Astrologo suo, Francisco Cocco Asculano, qui postea vivus flammis exustus est.

Scoti ab Eduardo Anglorum Rege fortiter pacem extorquent & fiunt sui juris, limitibus regi utrique constitutis.

Mortuus hoc anno S. Rochus, ex patre Joanne, matre Liberâ, dominus montis Pessulani, rubrâ insignitus cruce natus in hunc mundum, & duodennis orbatus utroque parente, pecunias omnes & mobilia bona in pauperes effudit, & Principatum patruo

patruo suo commendavit. Inde perrexit in Italiam, eamque percurrens multos peste afflatos sanavit, & ipse sævo anthraco affectus in crure, cum ardentissimâ febre, utrumque patientissimè tulit, & in sylvam feceſſit, ubi à cane venatico cujusdam Gothardi nutritus est, qui ei eleemosynam denegârat. Quod cum ille agnoviſſet, Rocho se discipulum obtulit, ac multùm in sanctitate profecit. Posteà ad Montem Pessulanum rediît, ubi pro exploratore habitus, toto quadriennio in carcere vixit, & moriens nomen suum atque progeniem in tabellâ reliquit. Quarè honorificentissimè sepultus multis miraculis claruit, maximè erga peste afflictos, cujus opem præsentissimam experti sunt Patres Concilii Constantiensis anno 1414. quorum jussu ejus imago in supplicatione circumlata multis profuit, neque aliter in Sanctorum numerum relatus est. Corpus ejus subreptum clàm Venetias translatum est, ubi religiosissimè colitur.

✲(1328.)✲ Andronicus Græcorum Imperator à nepote Andronico exauctoratur, & privatim custoditur.

Osmannus, seu Othomannus Turcarum Princeps moritur, eique succedit filius natu minimus Orchannes, hoc usus stratage-

mate:

mate : Recedens ille in Olympum montem dum fratres inter se depugnant pro Imperio, collectâ militum manu utriusque castra singilatim invasit, & utrumque occidit, atque sic rerum potitus est. Et ut ostenderet, non se esse degenerem Othomanni filium, mox Nicæam obsedit & cepit fugato juniore Andronico, occupavit & Nicomediam, aliasque urbes Orientis.

Ludovicus Bavarus Romæ à 52 ejusdem furfuris secum schismaticis, & apostatis, à Castrucio Castracone priùs multis civibus auro corruptis, aureâ coronâ coronatur. Inter reliquos sceleratos etiam Sciara Bonifacii percussor eminebat.

Ut verè apostatam se ostenderet Ludovicus, constituit Romæ Anti-Papam F. Petrum Rainalutium de Calabriâ Minoritam excommunicatum & apostatam, eumque dixit Nicolaum V, qui mox septem pseudo-Cardinales creavit, & damnavit Joannem Papam, & huic adhærentes spoliavit ecclesiasticis bonis, ipse pompâ & cultu Regi, quàm Pontifici similior. Mox tamen idem Nicolaus diris devotus est à Romanis, & cum Ludovico lapidibus appetitus, postquam suscepta à Ludovico expeditio contra Robertum Siculum malè successit.

Moritur

Moritur hoc anno in Galliâ Carolus Pulcher anno ætatis 34. sine prole masculâ relictâ ; Itaque Philippi Pulchri familia penitùs defecit, ob vexatum Bonifacium, sicut ei Mauriacensis Episcopus præcinuerat. Disceptantibus pro regno Eduardo Anglo & Philippo Valesio, huic Parium judicio lis adjudicata est, & dictus est Ben *fortunatus* ob tres Reges sine prole masculâ continenter mortuos : appellatus autem Valesius à Valesiâ regiunculâ Carolo ejus patri attributâ, atq; in hac familiâ regnum ducentis sexaginta annis usque ad obitum Henrici III. constitit.

✠(1329.)✠ Petrus Corbarius Pseudo-Pontifex furit in Joannem XXII. cujus imaginem Pisis publicè comburi jussit. Ludovicus autem post obitum Friderici Austriaci in Germaniam prorsùs inglorius redit. Posthæc Mario Vice-Comite, qui potissimùm Ludovicum in Italiam accersiverat, à fratribus suis strangulato, eoquòd novas turbas moliretur, aliisque contumacibus retusis, Corbarius Anti-Papa culpam suam suam agnovit, & Joanni reconciliatus cum Pisanis, ostendit, se hujus schismatis instrumentum, Ludovicum autem Bavarum primariam causam fuisse,

Hoc anno in Franciâ renuntiatus est

Bor-

Borbonii Dux Ludovicus Claromontii, & Marchiæ Comes, ortus è S. Ludovico, unde familia Borbonia propagata est, quæ jam ab Henrico IV. rerum potitur in Franciâ.

✲(1330.)✲ Corbarius Antipapa Avenione singulatim bis errores suos confitetur, ne id coactus præstitisse videretur, & ne quis ejus Pontificatu abuteretur, cum libris ac sociis in palatio includitur, atque triennio pòst ibidem moritur, sepultus in habitu Minoritæ, melior utique in morte, quàm in vitâ.

Carolus Rex Hungariæ à quodam nobili Fæliciano dicto cum Regina ac Prole ferè cæsus esset, ægrè tamen discussum est periculum, rege gravissimè jam vulnerato: percussor membratim à satellitibus regiis conscissus est, & in ejus familiam acerbiùs sævitum, quàm æquitas postularet, plusque amori in Regem quam justitiæ indultum.

Castellæ & Arragoniæ Reges unitis viribus insignem de Mauris victoriam reportant.

§

N DE-

DECAS IV.

Ab anno Christi 1330. ad 1340.

1331. ULadislaus Poloniæ Rex equit
✲ Teutonicos magnâ clade afficit
Cruciferorum 40. millia cædit & fugat
eu m ex Polonis vix 30. occubuissent p
iis B. Martyre Stanislao depugnante.

In Anglia Rogerius *de mortuo-mari* pu
tus adulter Isabellæ rerum tunc in reg
arbiter sumus in cubiculo Reginæ capi
& ex furca publica suspenditur, Reg
autem exauctoratur acceptis tantùm mi
libris annui censùs inops facta ut se Reg
nam esse dedisceret.

Orchames Rex Turcarum Nicæam in B
fhynia post diuturnam obsidionem capi
trustra Andronico Juniore Imp. Constan
nopolitano suppetias ferre adnitente. Co
perunt tunc primùm Turcæ pueros Chri
stianos capere in Natolia & venales expo
nere.

✲(1332.)✲ Moritur Andronicus Se
nior Græcorum Imperator postquam Im
perâsset annis 50. vixisset 74. ex nimio
Conchyliorum esu & potu aquæ frigidæ
morbo

morbo contracto. Cùm sacrum Christi Corpus recipere non posset pro viatico, Imaginem B. Mariæ Virginis, quam semper gestabat sinu, salutatam cum multis lacrymis sibi in os indidit, quæ exotica pietas parùm schismatico profuisse videtur, extra cymbam Petri constituto. Succeffit illi Andronicus nepos, qui mox Bulgaros aggressus, fugatus est. Quo tempore etiam Turcæ Constantinopolitanam Urbem occupássent, nisi Venetorum & Genuensium armis prohibiti fuissent; abduxêre tamen Christianorum 10. millia, & Eubæam sibi vectigalem fecêre. Posthæc magìs pro Imperio, quàm religione sollicitus Andronicus, turpissimum fœdus cum Turcis iniît ad repetendas à Genuensibus Phocæam & Mitylenem, atque Christianos in officio continendos.

Joannes Rex Bohemiæ Pontificem inter & Ludovicum Bavarum pacem reconciliare frustrà laborat.

✲(1333.)✲ Heraclea & simul tanta multitudo Christianorum à Mauris capitur, ut singula capita nummo aureo vænirent.

Philippus Valesius de expeditione sanctâ contra Mauros suscipiendâ cogitare videtur, sed re ipsâ pro Ecclesiasticorum pernicie magìs, quàm pro clade infidelium sollicitus.

Eduardus Anglorum Rex ad Barvicum quod obsidebat, magnam Scotis cladem intulit, 30. millibus cum universâ eorum nobilitate deletis.

Uladislao Loctico Rege Poloniæ defuncto succedit filius Casimirus Magnus.

✠(1334.)✠ Joannes XXII. Papa moritur anno ætatis 90. cui substituitur Joannes de furno, natus patre molitore, Cisterciensis, Cardinalis S. Priscæ, dictus Benedictus XII. Apparuit in morte Joannis singularis Dei providentia in gubernandâ Ecclesiâ suâ, & ab omni errore tuendâ. Cùm enim sententiam de animabus defunctorum non nisi post resurrectionem mortuorum plenâ & absoluta felicitate perfruituris, ex Cathedrâ decidere paratus esset (qui error privati hominis erat innexus quorundam tantùm SS. Patrum judicio) mors, hæc minùs rectè meditantem intercepit: quod semper continget, quoties Pontifices ex affectu magis, quàm ratione, nec afflati Spiritu Sancto pronunciare volent. Non tamen obiit, quin priùs hæc, quæ de animarum beatitudine sensit, retractâsset, eaque à se ùt privato, non ùt Pontifice dicta esse vellet. Reliquit post se thesaurum ad bellum sacrum paratum 20. millionum.

1335.

✲(1335.)✲ Benedictus XII. Ludovicum Bavarum hortatur, ut resipiscat, & admonitionem spernentem excommunicat. Italia interim, absente Pontifice, à Principibus, itemque Guelphis & Gibellinis miserè discerpitur.

In Poloniâ ingens locustarum multitudo grassatur, à quibus omnia depascuntur.

✲(1336.)✲ Babyloniæ Sultanus curam sepulchri Christi Domini Hierosolymis Patribus Franciscanis committit, Pontifice consentiente.

Benedictus à præstantissimis viris agitatam & ritè discussam quæstionem de animarum beatitudine ante judicii diem, implorato auxilio Divino tandem ex Cathedrâ definit, cùm de utrâque parte negante & affirmante antè legitimè, ac sine discrimine dubitaretur.

Ludovicus Bavarus, duplici Legatione ad Pontificem missâ, petit absolvi ab anathemate, errores suos confitetur, & pro pœnitentiâ offert se ad expeditionem in terrâ sanctâ obeundam, & continuandam, quàm diù Benedictus judicaret. Sed hanc promissionem & propositum sanctum abrupit bellum atrocissimum Gallos inter & Anglos exortum sequenti anno, cui se Ludovicus immiscuit contra Philippum, cui infensus

erat, Eduardo Anglo adhærens; unde Christiani in Cyprum arctè compressi, reliqui per Orientem durissimè à Saracenis & Turcis exagitati sunt.

✲(1337.)✲ Obiit Fridericus Siculus Rex anno ætatis 65. regni 42. cui succedit filius Petrus II. mater Eleonora fit monialis S. Claræ.

Scythæ & Turcæ Thraciâ vastatâ multa Christianorum millia in servitutem abigunt.

Pontifex modis omnibus adlaborat pro compositione pacis Francos inter & Anglos, sed hi ejus votis non acquiescunt & uterque Rex per nefas pecunias conquirit pro bello continuando, Anglus etiam per sacrilegium.

✲(1338.)✲ Iterum Pontificem inter & Ludovicum Bavarum de pace agitur, sed hæc non concluditur, imò Ludovicus a Pontifice omninò deficit, ejusque auctoritatem quoad electionem & confirmationem Imperatoriæ dignitatis impugnat, cum magno motu Germaniæ, quibusdam Pontifici, quibusdam Ludovico favent-bus.

Ardet adhuc bellum inter Francos & Anglos indiès flammâ ferociore. Eduardus enim hoc anno appulit in Flandriâ cum

cum classe 300. navium, ibique cum Ludovico convenit: Philippus quoque ingentem exercitum educit contra Eduardum Cameracum obsidentem, in quo Joannes Bohemiæ, Philippus Navarræ, David adhuc adolescentulus Scotiæ Reges cum multis Ducibus & Comitibus intererant. Stetêre in procinctu utrimque acies Oesiâ tantùm fluvio separatæ; pugnatum tamen non est, Philippo Valesio Galliæ Rege prudenter declinante, svasu Roberti Siciliæ Regis, ne regnum suum unius prælii periculo committeret, quem etiam Mathematicus quidam, magnam cladem Francis ab Anglis prænuncians, absterruit.

✲(1339.)✲ Romani, deserto Ludovico Bavaro, Pontifici adhærent.

Græci à Latinis expetunt auxilia contra Turcas, polliciti cum Ecclesiâ Latinâ unionem, hæc tamen non impetrant, cùm omnibus constaret de ipsorum inconstantiâ & fide Græcâ.

Alphonsus XI Castellæ Rex, & Alphonsus IV. Rex Lusitaniæ impetratis à Benedicto XII. indulgentiis ingentem exercitum Crucesignatorum colligunt, & quinque Reges Maurorum acie vincunt, Duce Consalvo Martinio Alcantaro Ordinis Magistro. Martinus autem de magnis criminibus accusa-

tus (aut veris aut falsis) vivus exustus est; tantæ victoriæ minimè festivos ignes ex pertus.

Robertus Siciliæ Rex Camiolam de ctis Siculis recuperat, & Rolandum Pe Regis spurium fratrem capit, quem a P tro fratre derelictum locuples quædam fœmina Mamertina Camiola Turinga bis mille uncis auri spe nuptiarum redemit Rolandus autem liber conjugium respuit, sed à Camiolâ in judicium vocatus, ad nup tias damnatur, quem tamen illa vicissim ingratum respuit, seque Christo consecra fœmina ex æquo fortis & religiosa.

✲(1340.)✲ Christiani duce Simone à Quadro paucis triremibus in Orientem navigantes, Turcas in mari Euxino magnis cladibus afficiunt.

Benedictus XII. ne Italia ab externis hostibus invaderetur, multos Imperii Vi carios constituit, & iis, qui à Ludovico Bavaro defecerant, dominia confirmat.

Angli pugnâ navali ad Clusas insignem de Francis victoriam reportant, cæsis Francorum decem millibus, ducentis & triginta Genuensium navibus depressis & captis, biduo durante prælio. Angli autem perdidêre suorum quatuor millia, ac multos nobiles, ipso etiam Eduardo in fe more vulnerato. Mox tamen adveniente

Phi-

Philippo Valesio cum 10. millibus equitum, & innumerabili peditum numero, & Tornaco ope B. Virginis contra Gallos fortiter defenso, induciæ inter utrumque Regem pactæ sunt.

ERRORES BARLAAMI ET ACYNDYNI.

VErsabatur istorum error in eo, quòd creata Dei effecta cum increata Dei substantiâ confunderent, & essentiales ejus operationes ad effecta creata referrent.

DE JACOBO JUSTO ET BONONATO.

DUo isti dæmonis satellites, primarios inter Duces Beguardorum numerantur, quorum prior beatos, ac JEsu Christi Martyres vocaqat omnes, qui ob Beguardorum hæreses fuissent condemnati, miserè tandem animam efflavit quadruplo muro inclusus: Bononatus verò vivus igni traditus.

DE MICHAELE DE CESENA, ET GUILIELMO OKAMO.

TAmetsi ab Unitate Ecclesiæ se duo isti nunquam separare professi sint, excommunicati tamen sunt à Joanne XXII, quòd propugnâssent, JEsum Christum ejusq; Discipulos ac veros imitatores nihil habuisse suum, neque particulatim, neque in commune. Qui error damnatus est à Joanne XXII. & Nicolao IV.

DE LOLHARDO WALTERO LOLHARDORUM PARENTE.

PRæter errores Waldenſibus, Henricianis, & Petro-Bruſſianis communes, proprios habuerunt ſequentes:

1. Docuerunt Luciferum cum aſſeclis injuriâ è cœlo deturbatum, & aliquando in beatitudinem cum ipſis recipiendum.

2. S. Michaëlem & beatos Angelos omnes æternis ſuppliciis eſſe deſtinatos.

3. Beatam Virginem à partu Virginem eſſe deſiiſſe alioquin (ſic acuti illi Theologi) non hominem, ſed Angelum peperiſſet.

4. Fugere dicebant Divinos oculos, & ultrices manus ea ſcelera, quæ ſub terrâ perpetrantur: quam ob cauſam exercebant ſuas impudicitias in ſpecubus ſubterraneis, adeò, ut cùm ex puellâ quâdam flammis addictâ, Gislâ nomine quæreretur, virgone eſſet? reſponderit: Super terram virgo ſum, non ſubter terram.

DE JOANNE DE POLIACO.

DOctor hic fuit Pariſienſis, qui in ſequentes errores prolapſus eſt, quos tamen retractavit juſſu Joannis XXII. & in obſequium Cathedræ Petri ſubjecit ſe.

1. Jactabat fruſtrà deponi peccata apud Religioſos mendicantes, & qui id facerent, manere obligatos ad eadem propriis ſuis decurionibus iterum explicanda.

2. Quòd

2 *Quòd stante Canone* Omnis utriusque *neque Pontifex, neq; Deus ipse dispensare potest parochianum ab annuâ peccatorum omnium confessione proprio Parocho faciendâ.*

3. *Non posse cuiquam Pontificem, ac ne Deum quidem generalem potestatem facere excipiendi confessiones.*

DE PETRO DE CUGNERIIS.

FUit hic Petrus *vel Regis Advocatus, vel Senatûs Parisiensis Procurator generalis: hic publicè coram Rege Philippo Valesio, Prælatis & Proceribus Galliæ multa effutire ausus est de tollendâ libertate Ecclesiasticâ & jurisdictione, productis & disputatis 66. articulis adversùs Prælatos Ecclesiæ, in quibus tametsi aliqua vitia in Ecclesiasticis observata continerentur, à quibus ipsi meritò abstinere deberent, plurimi tamen allegati articuli potestatem Ecclesiasticam & Canones antiquos & jura Ecclesiæ impugnabant; adversùs quem Cardinalis Bertrandus, tunc Augustodunensis Episcopus in eodem cœtu insignem orationem habuit, hujus insolentis Procuratoris proterviam piè, justè & fortiter obtundens & infringens, ut Rex ipse nefanda ratus postulata, causam pro Ecclesiâ & contra hunc rabulam deciderit, Prælatos in antiquâ suâ jurisdictione & auctoritate stabiliêrit. Petrus autem pro mercede dictæ causæ retulit perpetuam infamiam, ut etiam nomen ejus apud Gallos in proverbium*

abiêrit, quo utuntur in hominem stolidum, ad eum, in quem jocis agere volunt, appellandi illum Maistre Pietre du Cugner. *In illius etiam memoriam ridendam apud posteros in angulo chori B. Mariæ Virginis Parisiensis informe simulacrum facie simiâ positum est, quod obvius quisque pugnis & cultellis impetit, ut tradit Genebrardus, digna merces tam ineptæ causæ Procuratori reddita.*

DECAS V.

Ab anno 1340. ad annum 1350.

341. ANdronicus Imperator Constantinopolitanus moritur relinquens duos impuberes filios Joannem & Michaëlem, quorum tutelam committit Joanni Cantagunzeno, hic verò facit se ex tutore Augustum, & sic duo simul fuêre Augusti, Tutor Cantaguzenus & hæres Joannes: seu Calo-Joannes.

Casimirus Rex Poloniæ Lithuaniam sibi subjicit & in formam Provinciæ redigit.

Bellum inter Anglos & Francos redintegratur propter Ducatum minoris Britanniæ, quem ambo Reges Philippus & Eduardus suum esse prætendebant.

Franciscus Petrarcha Florentinus vir eru-

eruditionis famâ celeberrimus in Capitolio laureâ donatur, curante Roberto Siciliæ Rege.

✲(1342.)✲ Moritur Benedictus XII. cui sufficitur Petrus Rogerius olim Benedictinus, & nominatur Clemens VI.

Obiît quoque Carolus Hungariæ Rex cui successit Ludovicus filius.

Graves ubique terrarum hoc anno exundationes.

Romani Clementem legatione accersunt, qui tamen eorum votis obsecundare non potuit, Ludovici Bavari insidias metuens.

✲(1343.)✲ Clemens Papa contrati Turcos Crucem attolli jubet, primi armasunt Rex Cypri, Veneti & Hospitalarii.

Moritur Rogerius Neapolis Rex relinquens post se hæredem neptem Joannam desponsatam Andreæ Hungaro fratri Ludovici Regis.

Mortuus item Neapoli Siciliæ Rex Robertus, vir prudens quem Baldus Juris-Consultus Salomoni comparat, qui tanti litteras fecit, ut eas regno anteponeret.

Obiît in veste Minoritarum, & nuncupatis hujus Ordinis votis, cui cum conjuge adilictissimus erat, quibus etiam à Soldano S. Sepulchri custodiam obtinuit, & monasteri-

nasterium Hierosolymis exstruxit. Reliquit hæredem Joannam, ex Carolo filio desponsatam Hungaro Andreæ seu Andreasso, adjunctis proceribus regni, dum autem Hungari ad se omnia trahere volunt hoc regnum fermè labefactârunt : quod tamen Pontifex, quantum fieri potuit, impedivit.

✠(1344.)✠ Ludovicus Bavarus repetita legatione agit apud Pontificem de suâ solutione ab excommunicationis vinculo: quam Pontifex negat, nisi regno priùs abdicato.

Christiani feliciter pugnant contra Turcas in Asiâ, & Smyrnam occupant deletâ Turcarum classe. Algezira quoque ad fretum Gaditanum munitissima civitas hoc anno Mauris erepta est auxilio Francorum Navarræorum & Pontificis. Perhibentur Mauri in hac expeditione igne ac pulvere tormentario emisisse globos in Hispanos obsidentes, quibus etiam in bello Cressiaco Angli adversùs Francos usi fuisse scribuntur, quare qui hujus inventi tartarei auctor traditur Bertholdus Schwartz, monachus, hoc perfecisse potiùs quam inveniisse credendus est.

Philippus Valesius Vectigal Salinarum instituit, prohibens ne quis salem emeret nisi

nisi ex fisco, unde eum Eduardus Rex Angliæ Salinatorem & hic vicissim Eduardum Lanarum mercatorem appellabat, convitio utroque subditis, quam Regibus acerbiore.

✻(1345.)✻ Promulgatur iterum Crux in Turcas & huic expeditioni præficitur Humbertus Delphinus Viennensis in Galliâ, sub cujus auspiciis incensæ sunt Turcorum naves, insuper autem nihil memorabile gestum est. Delphinus iste ante duos annos Philippo Ditionem suam eâ lege dedit, ut ejus filius aut nepos, cui hæc Provincia assignaretur Delphinus vocaretur, & Delphinos ferat pro insigni seu stemmate, factus est is postea Dominicanus, & Alexandrinus Patriarcha, aliisque beneficiis Ecclesiasticis auctus obiit Claromontii in Arverniâ, majorPrincipatu relicto, quam administrato, & relicto sibi successore, qui semper Christianissimi Regis primogenitus esset.

Joannes Cantaguzenus in Imperatorem Constantinopolitanum coronari se curat à Patriarcha Hierosolymitano Lazaro, & ut res suas firmet, filiam suam Theodoram tradit Orchami Turcarum Principi, unde factum est, ut Turci anteà vagi firmam in Thra-

Thraciâ ſedem defigerent, futuri mox ex incolis Imperii hujus everſores.

Andreas Hungarus à Pontifice declaratus Rex Neapolis, ab uxore ſuâ Joannâ ſtrangulatur, cujus necis cauſam fuiſſe dicunt alii Joannæ libidinem, quam Andreas explere non poterat, alii regni Proceres Regi invidos. Certè dura quæſtio de hac morte exercita eſt, & multi viri ac fœminæ illuſtres damnati.

In Armoricâ obit Comes Montfortius æmulus Caroli Bleſenſis, in ejus obitu ſcribunt tam multos corvos convolâſſe, ut ex totâ Galliâ omnes corvi eò adveniſſe crederentur. Opinio plurimorum fuit, dæmones eos fuiſſe, qui ad tollendam ejus animam infernales exequias celebrârint homini ſcelerato & pauperum oppreſſori.

✲(1346.)✲ Ludovicus Bavarus, jubente Clemente VI. Pontifice exauctoratur, & Imperio privatur, in locum ejus eligitur Carolus IV. filius Joannis Bohemiæ Regis natus annos 30. Coronatur Bonnæ, quia Aquiſgranum Ludovico adhuc tenaciùs adhærebat, & periculum erat in morâ.

Pugna atrociſſima Francum inter & Anglum conſeritur ad Creſſiacum, Philippo Galliarum Anglos in caſtris munitis temere in-

invadente, qui inopiâ rerum pressi debellari sine sanguine potuissent. Pugnatum est acriter ad concubiam noctem : victus Philippus acceptis duobus vulneribus fugit Ambianum. Tunc quoque cæsus est Joannes Bohemiæ Rex fortiter & cum stupore Anglorum depugnans. Cæcus enim erat, qui cùm in Lithuanicâ expeditione uno oculo excæcatus esset, etiam altero insuper ab inepto medico Judæo, cui sanandum se commiserat, orbatus est, quam cæcitatem fortitudine & dexteritate mirum in modum compensavit : In eâdem pugnâ filius ejus Carolus IV. jam Cæsar electus acceptis tribus vulneribus se se subduxit : Cecidêre quoque Carolus Comes Alerconii Philippi frater, Ludovicus Flandriæ Comes, Ludovicus item Comes Blesensis, Grimoaldus & Auria Genuensium Duces : Periît quoque sequenti die Rodulphus Lotharingiæ Dux, cecidêre insuper supra viginti equitum peditumq; millia, & pars magna nobilitatis, & Francia in ultimum discrimen adducta est. Hac victoria Eduardus roboratus Calesium obsidet & annuâ obsidione fame tandem ad deditionem compellit : statuit Eduardus omnes sine discrimine perdere, sed Precibus uxoris, matris, & duorum Cardinalium miti-

mitigatus sex tantùm ex civibus postulavit ad laqueum. Civibus porrò de sex illis consultantibus obtulit se sponte Eustachius à S. Paulo, cujus exemplum alii primarii secuti quinque cives se pro suis popularibus fortiter devovere, quibus etiam vitam obtinuit Philippa uxor Eduardi ad mariti pedes provoluta.

Genuenses occupant Insulam Chium, magno dolore Venetorum, per Simonem Vognosium justissimum belli Imperatorem, cujus æquitatem filius ejus expertus est, quem ob raptos racemos è Chiensi prædio per totam urbem, quanquam Chiis deprecantibus, uvis è collo pendulis, virgis verberari jussit.

Adeodatus Gozonis creatur magister Hospitaliariorum defuncto Ebione, de Villanovâ, qui eum in carcerem conjecerat propter draconem Insulam Rhodum devastantem, immane monstrum, quod Adeodatus equo insidens & cum duobus canibus ad id condocefactis, injussus aggressus erat & interfecerat.

✲(1347.)✲ Joannes Contaguzenus perfosso muro à suis fautoribus recipitur Constantinopoli captis Annâ Augustâ & filio ejus Calo-Joanne, quam tamen amicissimè tractavit, datâ etiam filiâ suâ Calo-

Joan-

Joanni, quem saltem nomine tenus secum voluit Imperare.

Joanna Regina Siciliæ cis Pharum, sive Neapolis, malè sibi metuens à Ludovico Rege Hungariæ ob necatum fratrem ejusdem, ac suum maritum Andream, jus omne suum in Siciliam resignat, Ludovico Regi Siciliæ promittenti auxilia contra invasores regni Neapolitani.

Romæ quidam nebulo Gabrinus molitoris & lotricis filius ab insaniente plebe tyrannus constituitur, & septem coronis insignitur, qui septem duntaxat mensibus in urbe tyrannidem exercuit à rebellante populo suffultus, donec oppressus Apuliæ Palatini & præfecti patrimonii copiis, captusque Avenionem ad Pontificem missus, ibi solium suum regale in carcere invenit.

Obiit hoc anno Ludovicus Bavarus hostis acerrimus Pontificum & Ecclesiæ, veneno potatus à Joannâ Duciſſâ Austriæ, & conatus id ejicere agitatione dum aprum insequitur, apoplexia correptus ex equo cecidit, & impœnitens interiit. De hoc Cæsare ita judicium suum scripsit Lipsius *Fuisse undique summum, fatentur etiam invidi; modò Principes studuisset magis vereri, aut certè revereri eum, qui solâ exceptione laudatur.*

Mortuo

Mortuo Ludovico Proceres nonnihil eversati Carolum, tres Ordine Cæsares elegerunt, Eduardum Regem Angliæ, Fridericum Misniæ Marchionem, nepotem Friderici quondam Imperatoris, & Guntherum Comitem Schwartzenburgicum; sed primus metu fortè offensæ Pontificiæ, vel quòd bello Gallico detineretur, recusavit Imperium. Alter acceptâ pecuniâ, ut scribitur decem millibus marcarum jure suo cessit: Tertium Guntherum, qui armis jus suum prosequi cogitabat, vis veneni à medico oblati sustulit. Itaque unus Carolus IV. Romanorum Rex agnitus est, cujus inauguratione omnes turbæ quieverunt. Henricus Moguntinus qui tumultus ciere poterat, morte subitâ elatus Deo pœnas dependit eorum criminum, quæ in Imperium & Ecclesiam commisit Ludovici partes tenaciùs tuendo.

✠(1348.)✠ Ludovicus Rex Hungariæ vindicaturus mortem fratris sui Andreæ regnum Neapolitanum occupat, Joannâ reâ necis fugiente ac recurrente Avenionem ad Pontificem, à quo etiam postmodùm jùt innocens declarata est.

Civilia bella ubique ferè in Sardiniâ, Arragoniâ, Sveciâ, Moscoviâ.

Immanis quoque pestis per totum orbem,

bem, quæ ortum ſuum dicitur habuiſſe in magna Tartaria, ex igneo vapore è cœlo delabente, cum ſerpentibus horrendo fætore è terra erumpentibus, inde univerſam Aſiam Africam Europam lues iſta pervaſit, quætanta fuit, ut ſolo viſu aut halitu affiati alios necarent. Florentiæ tantùm tunc elata ſunt centum hominum millia. Acceſſit ad hoc malum morbus alius, qui ſacer ignis appellatur, quo caro ad oſſa uſque celerrimè exeditur, dicitur per totum orbem poſt hanc peſtem vix ſuperfuiſſe tertiam partem hominum.

✲(1349.)✲ Turcæ in Thracia invaleſcunt diſſimulante Cantaguzeno & Græcis in ſuo damno adhuc facetis.

Wilhelmus Okamus Minorita moritur, vir ingenii ardentiſſimi & maximi nominis Theologus, & utilis futurus Eccleſiæ, niſi ſe immiſcuiſſet diſſidiis inter Pontificem, & Ludovicum, plùs Zelatus pro ſuo Ordine quàm pro Chriſti Eccleſia. Neque tamen obiiſſe putatur ſine pœnitentia ſecutus Michaëlem Cæſenam Generalem ſuum, cujus maximè causâ in Chriſti Vicarium ſurrexerat.

✲(1350.)✲ Clemens VI. Jubilæum celebrat, tantâ hominum multitudine Romam confluente, ut quotidiè à Natalitiis

ad

ad Pascha hominum decies aut duodecies centena millia numerarentur; imminuto deinceps ob calores numero; & vix decimo ad sua regresso. Referunt autem historiæ, quòd tunc sævierit Romanorum sævitia in peregrinos, quam dum reprimere conatus est Legatus, primùm sagittis appetitus, deinde etiam veneno sublatus est, adeò ut Roma sancta, absente Pontifice, grassatorum & veneficorum receptaculum dicenda videretur.

Abolita est hoc anno æra Hispanica à Petro Arragonum Rege, ac deinceps anni à Christi Natalitiis inchoati sunt more Ecclesiæ Romanæ, quod in Castellâ modò factum est anno 1383. & in Lusitaniâ modò anno 1415. in Galliâ anno 1564. cum magnâ ubique Chronologiæ perturbatione.

Philippus Rex Francorum moritur anno ætatis 57. & creditur nimio Veneris luxu vitam sibi abbreviâsse. Succedit filius Joannes II. dictus *Bonus*.

Alphonso Castello Regi mortuo succedit filius Petrus cognomento Crudelis qui ut matri suæ factam à Patre injuriam ulciscereturr, regnum à sævitiâ auspicatus, quamprimùm Eleonoram Gusmaniam egregiam corporis & animi dotibus fœminam, sed Patris sui pellicem interemit.

Eduar-

Eduardus instituit Ordinem Periscelidis *dela Iartiere*. Causa instituendi dicitur fuisse sumpta ex Periscelide defluente Comitissæ Sarisberiensi, quam ipse deperibat & quam ei amatoriè reddidit, ac ridentibus aulicis illustrem reddere voluit.

DECAS VI.

Ab anno Christi 1350. ad 1360.

1351. DAmasci Præfectus incendio excitato Christianos ejus auctores fecit, & tam diu torsit, donec falsum crimen admitterent, & cum omnibus proposuisset aut crucem, aut Mahometis cultum tantùm 22. elegerunt crucem. Cœteri ad Mahometis cultum transiêrunt. Cùm id Sultanus Ægypti resciîsset, præfectum hunc medium discindi jussit. Et sic fecit utcunque satis Christianis.

Joanna Regina Neapolis innocens declaratur à Pontifice, ideò regnum à Ludovico Hungaro recipit, eâ conditione, ut post mortem Joannæ illud ad Ludovicum redeat. Bellum inter Anglos & Gallos renovatur Pontifice frustra id Impedire omnibus viribus laborante.

Bellum

Bellum ardet in Belgio pluſquàm civile inter Margaritam Ludovici Imperatoris relictam, & inter Guilhelmum, matrem inter & filium, matris quidem partes propugnabat factio dicta *Cabelliau* hoc eſt *Aſellorum piſcium*. Pro filio faciebant pars dicta *Houc* id eſt *Hamatorum*, tandem pace compoſitâ matri ceſſit Hannovia, & filio Hollandia.

Polonia à Tartaris valde affligitur, Caſimiri libidine tales pœnas exigente.

✲(1352.)✲ Cantaguzenus cum Calo-Joanne, tutor cum hærede, pro Imperio pugnant.

Clemens VI. Papa moritur Avenione, eidem ſuccedit Innocentius ſextus, dictus aliàs Stephanus Alberti Lemovix.

Joannes Wiclephus Anglus hæreſiarcha incipit protrudere ſuas hæreſes.

✲(1353.)✲ Cantaguzenus à Calo-Joanne preſſus ad Turcas confugit, Implorat etiam Innocentium Pontificem, & unionem inter Græcos ac Latinos pollicetur ſi auxilium à Chriſtianis Occidentalibus obtinere poſſit. Quibus Innocentius injungit ut priùs ſpiritualia curent & tunc non defutura à Chriſtianis auxilia.

Cardinalis Albornius Archi-Epiſcopus Toletanus rei militaris peritus armis &

metu

metu armorum Italiam intra quinquennium revocat in obsequium Pontificis.

Gabrinus ex vinculis Avenione dimissus iterum tyrannide assumptâ capitur, & suspensus, comburitur.

Genuenses cum Venetis præliantur & civium suorum unâ strage octo millia perdunt, Mediolanensi Archi-Episcopo se se submittere coacti.

✲(1354.)✲ Suleimanes Turcarum Princeps â fœdere cum Græcis inito resiliens multas urbes in Thracia occupat: Cantaguzenus autem jam vehementius a Calo-Joanne pressus Matthæum filium suum dicit Imperatorem, jam se publicè tyrannum non tutorem professus.

Genuenses Duce Pagano Auria ad Peleponesum totam Venetam classem cũ Duce suo Pisano, & quinque millibus hominum unâ tantum triremi elapsâ, capiunt sine certamine: & actum tunc fuisset cum Veneta republica, si Auria victoriâ uti potuisset, & Genuam non rediisset, vani honoris plausus excepturus.

Ludovicus Hungariæ Rex Rasciæ Regem vincit & capit.

✲(1355.)✲ Carolus IV. Imperator accipit coronam ferream Mediolani, ac de-

inde auream Romæ à Cardinalibus per Papam delegatis.

Carolus Rex Navarræ ex insidiis à Gallis capitur & Parisios abducitur, & à Joanne Rege Galliarum in carcerem detruditur. Calo-Joannes Palæologus Cantaguzenum devincit, & in ordinem redigit, qui tandem fit monachus, & uxor ejus Irene Monialis.

✠(1356.)✠ Carolus IV. Imperator Norimbergæ Bullam Auream de electione Imperatoris, de jure Electorum, qualitatibus Principum atq; Ordinum promulgat.

Dum Joannes Franciæ Rex Eduardum AngliæRegis filium PrincipemValliæ persequitur, prope Pictavium urbem in castris præmunitis invadit, valdè imprudenter, rejectis quantumvis honestis conditionibus: unde exasperati Angli loci iniquitate strenuè se se defendentes, nobilissimam referunt victoriam, cæsis Francorum sex millibus, atque inter cœteros Petro Borbonio, aliisque Proceribus, & octingentis equitibus primariæ nobilitatis. Rex ipse supra hominem depugnavit, acriter defensus à Philippo filio natu-minimo, sed tandem captus, cum eodem raptim Burdegalam perductus est, posteà per otium in Angliam traducendus; cùm tamen nullo ferè ne-

negotio Anglis eripi potuisset, sed Francis tunc, uti anteà, Regi suo mens læva fuit.

Ludovicus Hungariæ Rex retundit Venetos, & compellit ad Jaderam atq; Dalmatiam relinquendam, & sic pace initâ, docet utilius esse mercibus, quàm perniciosè bello vacare.

Italia variis tyrannis in Sedem sanctam ferro & crudelitate armatis, turbatur: sicut & Sicilia, sed fortiter retunduntur inimici. Genuenses quoque Duce suo Simone Bucca-Nigrâ, qui posteà veneno sublatus est, libertatem suam recuperaverunt.

✲(1357.)✲ Parisini Joanne Rege suo captivo in Angliam cum filio abducto, auctore Marcello præposito mercatorum seditionem movent, in quâ tres Proceres ad Caroli Delphini pedes confossi interiêrunt, & ipse coactus est ferre tegmen capitis rubrum & cæruleum, seditiosorum insigne. Laxatus quoque ex carcere Carolus Rex Navarræ turbas auxit, quas sopiturus credebatur. Delphinus autem mutatis animis, qui Parisiis abiêrat, revocatus, & Marcellus cæsus est. Francia nihilominùs adhuc distracta arte Navarræi & copiis rusticulorum, qui Jacobum bonum hominem sibi præfecerunt; accesserunt & milites solutæ disciplinæ, quorum Dux fuit Arnaldus

de Servola Vasco vulgò dictus *Presbyter de Ve-niis* & ab his omnibus Francia lacerata & a-gitata instar navis nauclero destitutæ. Ad-gebat intereà in Angliâ Joannes captivus cum Philippo filio: hîc cùm nobilis Anglus poculum priùs Eduardo quàm Joanni ex-tulisset, ei fortis adolescens colaphum im-pegit, quarè huic Eduardus: *Mon fils vous estes bien Hardy*: Unde Philippus *Audax* dictus est: cui Regis increpatio hoc no-men peperit.

Reges Castellæ & Arragoniæ inter se de-certant.

Alphonsus Rex Lusitaniæ obit ætatis 77. relicto hærede filio Petro.

HÆRESIS RICHARDI ARMACANI.

ARchi-Episcopus hic erat in Hybernià, Ordinis S. Francisci hostis infensissimus, qui contra Mendicantes Ordines edidit Defensorium Curatorum, *atque in Britannicis Insulis Fratres illos exagitavit, & turpe esse dixit, Christiano ultrò ac sponte mendicitatem amplecti, & declamavit hoc tempore suas ineptias tumidis buccis. Evocatus erat à Pontifice, verùm lite pendente & retractato errore suo, quò zelus intemperans illum abripuit, obiit & miracula claruit, quæ Bonifacius IX. excutienda curavit.*

✠(1358.)✠ Cayri Martyrio afficitur Nicolaus de Monte Corvino cum duobus so-

sociis ob Thomam Hungarum Mammaluchum ab iis ad fidem conversum, & cum iis pariter Martyrem factum.

Eduardus Angliæ Rex immunitates Ecclesiasticas invadit.

Delphino regnum administrante & Navarræ Rege è custodiâ dimisso, Gallia fluctuat.

✲(1359.)✲ Orchames Rex Turcarum ex equo lapsus moritur, cui filius Amurathes succedit, qui sub specie juvandi Græcorum Imperatorem, contra Despotas transit in Thraciam, & Philippopolim, Adrianopolim, aliasque civitates occupat, & hanc sui regni sedem constituit.

Petrus Arragoniæ Rex tumultuum pertæsus Ordinem S. Francisci ingreditur.

Eduardus turbatam Franciam occupaturus, cum 100 millibus armatorum & undecies centenis navibus Calesium appellit: sed frustrà tentatis Rhemis (ubi inaugurationem speraverat) Catalauno & Trecis fortiter à Delphino propugnatis, victo similis in Angliam revertitur, quam eo absente Nortmanni fædè depopulati sunt.

Casimirus in Walachiam cum suo exercitu ingressus, ab indigenis penitùs deletur, captis ferè omnibus aut cæsis.

✲(1360.)✲ Obiit hoc anno Romæ

Hugo Lusitanus Rex Cypri Senator Romanus ab Innocentio Pontifice factus, cui succedit filius Petrus.

Joannes Franciæ Rex tribus auri millionibus redemptus, factâ cum Anglis pace, Parisios revertitur. Hoc fœdere Anglis cessit Aquitania, quam filio suo dedit Eduardus, unde nova bella postmodùm nata. Datus quoque Pontivus ager cum Calesio & Guinis. Rediît ad suos Joannes tanquam Genius de cœlo Parisios delapsus.

HÆRESIS BERTHOLDI DE BORBACH.

PRæter hæresin Beguardorum, quibus adhæsit, docuit, Christum inter tormenta eò usque derelictum, ut dolore perculsus, ac perturbatus de sua salute dubitârit.

HÆRESIS BARTHOLOMÆI JANOVEZII.

LIbrum edidit circa tempora Urbani V. in quo tres errores sequentes observantur.

1. *Constituebat certum tempus Antichristi, ac diem indicabat, quo ipsius discipuli in lucem essent prodituri, diem scilicet Pentecostes 1360.*

2. *Ajebat, Christianos omnes libero arbitrio præditos ab Antichristo esse evertendos, consignandosq; in fronte ac manu eâ vi, ut conversi denuò & æternam damnationem declinare nullo modo possint: quin imò flammis è cœlo immissis interituri sint.*

3. *Di-*

3. *Dicebat, fore ut non modò Christianorum infantes, sed etiam Judæi, Saraceni, aliiq; cujuscunq; ætatis infideles ab Antichristo aliquandò seducti, eo tandem extincto ad Christum se convertant, non autem Christiani, qui jam adulti & compotes rationis, Antichristo adhæsissent, adeò ut universa Ecclesia Judæis constaret, aliisque infidelibus, quos ille dicebat convertendos esse.*

DECAS VII.

Ab anno Christi 1360. ad 1370.

1361. PEtrus Rex Cypri paratâ classe cum Hospitalariis centum triremium, Attaliam urbem capit, & præsidio firmat, Candaboram quoque sive Sidam ad deditionem compellit, & Sultanum ejus sibi vectigalem facit, & sic multùm retudit audaciam Turcarum.

Laurentius Celsus Dux Venetorum creatus 46. ætatis anno, qui cùm patrem haberet, Crucem auream pileo Ducali affixisse fertur, cui pater coram eo stans in cerimoniis non filium, sed Crucem honorare videretur. Quasi verò non aliter dignitas à persona distingui posset.

Varia prodigia hoc anno visa. Mediola-

num peste exhaustum. Vivi homines vulpibus devorati. Visæ in Franciâ & Angliâ urbes, è quibus acies eruperunt, modò victæ, modò victrices. Etiam valdè absurdum accidit illud, quandò Wenceslaus Caroli IV. filius aquas baptismi, quo tingebatur, lotio suo inquinavit, & post duos annos altare, in quo coronabatur, percacabat, in signum turpitudinis, quæ, eorum potiente, erat Bohemis exspectanda.

✲(1362.)✲ Innocentius Papa Avenione moritur, eique substituitur Wilhelmus de Crisago, Abbas S. Victoris absens, dictusque est Urbanus V.

Casimirus hoc anno, dirè grassante fame munit urbes suas, sapienter usus ad labores operâ plebeculæ, quibus frumentum suppeditavit, & simul otium & famem à suis dispulit.

Eduardus Rex Angliæ celebrat suum jubilæum 50. annorum valdè magnificè & liberaliter & statuit, ut deinceps jus Anglicâ, & non Francicâ linguâ, sicut antea in usu erat, diceretur.

✲(1363.)✲ S. Brigitta veniens ad Urbanum Papam, confirmationem Ordinis à se instituti impetrat.

✲(1364.)✲ Joannes Rex Franciæ trajicit in Angliam, pacem firmaturus cum An-

Anglis, & Londini moritur. Succedit ei Carolus filius cognomento Sapiens. Funus Joannis regiè curavit Eduardus & corpus remisit in Franciam. Carolus autem Delphinus coronatus est Rhemis cum Joannâ conjuge Borbonià & fratri suo Philippo Audaci dedit Ducatum Burgundiæ.

✲(1365.)✲ Petrus Rex Cypri Alexandriam capit & incendit

Petrus autem Rex Castellæ ob crudelitatem omnibus fit exosus, & à Pontifice judicatur regno inutilis & indignus.

Societas grassatorum Anglorum ferè ad 100. millia armatorum irrupit in Sabaudiam, ubi maximè sæviit contra nobiles, tandem cùm in Alsatiam penetrâsset, à Carolo Imperatore & Germanis debellata est, Jacobo autem Homobono ejus Duci & Archi-Presbytero Petracoricensi detracta est cutis, reliqui à rusticis mactati, aut vorati à feris, Europam magno terrore liberârunt.

Carolus IV. Imperator Avenione Rex Arelatensis coronatur, ubi etiam stratoris officium Pontifici exhibuit. Continebat autem tunc Arelatense regnum Provinciam, Pedemontium, Ducatum Mediolanensem, & magnam partem Longobardiæ.

✲(1366.)✲ Henricus adjutus ab Aragonio Petrum Castellæ Regem à Ponti-

fice ob crudelitatem & impietatem depo-
situm regno deturbat, & ipse sic annuente
Pontifice (erat enim Henricus frater Pe-
tri nothus) Castellæ & Legionis Rex pro-
clamatur. Petrus nullibi in Hispaniâ re-
ceptus, fugit cum thesauris Bajonam in A-
quitaniâ ad Eduardum Anglum Walliæ
Principem.

Servii dum Hadrianopolim recuperare
conantur, ab Amurathe Turcarum Prin-
cipe ingenti clade afficiuntur.

Amedeus Sabaudiæ Dux cum copiis
Crucigerorum excitatis ab Urbano V. ap-
pellit in Thraciam, ac Turcis ereptam
Callipolim Joanni Palæologo consangui-
neo suo restituit. Quam tamen paulò post
Græcorum inertiâ Turci recuperavêre.
Aliunde Petrus Rex Cypri Tripolim Tur-
cis eripuit, multasque civitates, & ita Sul-
tanum Ægypti terruit, ut mitteret Lega-
tos Venetias, quibus Venetos à sacrâ ex-
peditione averteret: atque tota hæc tam
celebris expeditio demum etiam in Chri-
stianorum perniciem recidit.

✲(1367.)✲ Hoc anno post egregiam
victoriam à Pontificis legato de rebellibus
partam Urbanus Pontifex Romam venit
relictâ Avenione, reluctantibus plurimùm
Cardinalibus, quorum etiam quinque, sed
sine

sine auctoritate Avenione substiterunt. Primò exceptus est Pontifex Genuæ, inde Cornetum nave Prætoriâ Hospitalariorum devectus, ubi obvium habuit Ægidium Alvarum legatum, à quo Viterbium deductus, qui rerum gestarum Pontifici reddens rationem, currum ei plenum obtulit clavibus urbium & arcium receptarum: mox tamen Viterbii mortuus est, Urbano amarissimo animo tanti Cardinalis mortem deflente.

Senis Ordo Jesuatorum hoc anno, fundatus à S. Columbano, confirmatus est. Usi sunt regulâ S. Augustini, & 60. illorum Pontificem Corneto Viterbium comitati sunt, benignè ab eo susceptì, prout religio & pietas eorum postulabat.

Obiit hoc anno Petrus Lusitaniæ Rex, cui successit filius Ferdinandus irretitus amoribus Eleonoræ Menesiæ, quam viro suo Laurentio Acuno abstulerat, hic autem ex metu potentis rivalis fugerat in Castellam, gestans in pileo suo cornua argentea, etiam in suo dedecore facetus.

Eduardus Anglus Walliæ Princeps cum magno exercitu reducit Petrum in Castellam & Henricum copiis imparem cædit ac fugat, qui in Galliam profugus exercitum reparavit Castellam recuperaturus. Pe-

trus autem ob cæsos Ecclesiasticos mox anathemate ab Urbano perculsus est, & excommunicatio callidè ei denunciata: ex triremi, ad quam quasi nunciorum causâ evocatus erat ab Archi-Diacono. Interea recedente Eduardo Henricus adfuit cum exercitu & urbibus penè omnibus ad eum deficientibus regnum recepit: Petrus ab Eduardo propter perfidiam desertus Mauros invocat.

Legati à Calo-Joanne mittuntur ex Græciâ acturi de concordiâ utriusque Ecclesiæ Latinæ & Græcæ, Amedæo Sabaudiæ Duce plurimùm cooperante, qui etiam Viterbii ab Urbano perhumaniter excepti sunt, & multis utrinque litteris missis negotium agitatum est.

✲(1368.)✲ Iterum Franci & Galli ruptis induciis committuntur inter se, quòd Aquitani ab Anglis oppressi confugissent ad Carolum.

Carolus IV. invitatus à Pontifice Viterbium venit pace cum vice-Comitibus utcunque compositâ. Hìc coronatâ Imperatrice rediit Carolus in Etruriam, ubi Senis fermè oppressus de suis Germanis multos perdidit, populo pro sua libertate dimicante, sicque rediit in Bohemiam, ab Italis contemptus.

1369

*(1369.) Henricus Rex Castellæ Petrum tandem mense Martio victum & è fugâ reductum securi percutit, omnibus bonis mortem approbantibus, quamvis à fratre illatam. Deinde alios quosdam jus sibi in Regnum arrogantes comprimit.

Armeniacus & Vasconiæ Proceres, quòd tributis nimiùm premerentur ab Anglis, provocant ad Carolum Regem Francorum: quapropter Eduardo Walliæ Principi ad causam agendam die dicto cum venire renueret, bellum adversùs Anglos renovatur, à quibus multi deficiunt.

David Rex Scotiæ moritur sine liberis, & Rex eligitur Robertus Stuartus, Roberti Brusei ex filiâ nepos.

Calo-Joannes Imperator Græcus navigat Romam, benignè acceptus à Pontifice, sæpe ad mensam vocatus, inde Venetias venit auxilia petiturus, ubi tantùm à fæneratoribus pecuniam accepit. Venetiis in Galliam transivit, sed quia bello Anglico implicitam invenit, Venetias rediît, & ibi à fæneratoribus detentus scripsit ad filium Andronicum, ut ad se pecunias mitteret, sed ab hoc contemptus, easdem petiît ab Emmanuele suo secundò genito & impetravit aliquas, sed non sufficientes, unde ipse Emmanuel se obsidem pro parente

obtulit,& ideo in hunc Joannis amor,& in illum odium magnorum in Oriente tumultuum causa, emanavit.

Angli post multa prælia perdunt Aquitaniam, & retusâ hoc & sequentibus annis Anglorum fortitudine ac fortunâ Gallia victoriis reflorescit.

Eduardus Princeps Walliæ ex morbo obit & Navarræus Rex Carolo Franciæ Regi se submittere cogitur.

✠(1370.)✠ Casimirus Rex Poloniæ ob res præclarè gestas magnus appellatus moritur absque prole mascula, cui succedit qui jam pridem à proceribus approbatus erat, nepos Ludovicus Hungariæ Rex, & ab hoc tempore cæpit Polonia externos habere Reges.

Urbanus Papa qui Româ Avenionem redierat studio sedandi bellum Anglicanum, hìc moritur & in locum ejus sufficitur Petrus Rogerius Lemovicensis, Clemèntis VI. frater filius Cardinalis S. Mariæ Novæ dictus Gregorius XI. Mortuus est autem Urbanus in habitu monachi, quem nunquam dimiserat, & fuit is primus, qui coronam triplicem gessit, non ad pompam sed ad pietatem : sanctus enim Pontifex fuit, etiam post mortem miraculis clarus. Cui Avenionem redire volenti Sancta Brigitta

gitta propositum dissvadere conata est & prædixit mortem ibi obventuram si iret. Ordinem porrò a S. Brigittâ Svecâ ex nobili prosapiâ oriundâ tum pro mulieribus, tum pro viris, institutum paulò antè Urbanus confirmavit.

DECAS VII.

Ab anno Christi 1370. ad 1380.

1371. Gregorius XI. Principes Christianos missis legatis reconciliare inter se modis omnibus adlaborat.

Lithuani auditâ morte Casimiri Poloniam depopulantur, & inter cœteras prædas partem Crucis exportant, sed currus quo hæc deferebatur, nunquam loco moveri potuit, itaque à prædonibus, licet Ethnicis restituta est.

Henricus Rex Castellæ classem mittit in oram Gallicam, cujus ope Franci ad Rupellam Anglos insigniter vincunt.

Joannes Huß ex scriptis Wiclephi contra Ecclesiam seminat in Bohemia hæreses.

(1372.) Gregorius Pontifex res Hispanas & Siculas componit, & Carolum Regem Navarræ cum suis inimicis conciliat. Excitat insuper Christianos Principes

pes Occidentis contra Turcas, hanc autem expeditionem Genuensium & Venetorum discordia perturbat, ex levissima prorsus causa orta & cum dedecore commemoranda, non tamen tacenda, ut videant Christiani, quàm injustè & impiè filii matris Ecclesiæ pugnent contra se. In coronatione Petri seu Petrini Hierosolymorum Regis, antea Cyprii, accidit, ut Venetorum Legatus (ab aliis Bajulus tantùm dictus) præponeretur Genuensium Bajulo (sive Legato) quâ de causâ cùm hi vindictâ spirarent, & deposcerent passim, Famagustæ Genuenses trucidati; ideoq; hi grandi classe comparatâ totam Insulam pervagati, cepêre Famagustam, eamque centum annis tenuerunt, levissimam honoris injuriam gravissimis damnis vindicantes.

✲(1373.)✲ Ordo Eremitarum S. Hieronymi à Gregorio XI. confirmatur, & ab eodem turpissima secta Turolupinorum flammis damnatur.

Poloniam hoc anno turbavit Monachus excucullatus cognomento Albus filius Casimiri nepos Uladislai Loctici. Hic Divione factus Monachus ex ingenii levitate abjectâ veste sacrâ (quantumcunq; Pontifex reclamaret) à Polonis Hungaris detre-

ctan-

stantibus pro Rege agnitus est, armisque correptis multa damna intulit, & plura recepit, donec rebus cum Ludovico Hungariæ & Poloniæ Rege compositis, Divionem ad monasterium S. Benigni rediît, ac demùm obiît anno 1388. neque Princeps, neque Religiosus.

HÆRESIS TURELUPINORUM SEU CYNICORUM.

Secta hæc ferina prorsùs & agrestis hoc tempore à Gregorio XI. penitus fuit extincta, & in flammis consumpta, tum propter errores Beguardorum, tum propter alios duos.

1. *Dicebant, nihil perdere debere quenquam eorum, quæ à naturâ accepimus. Sic persuasi pudenda sine tegumento ostentabant, ac propalàm turpiter coibant canum instar & equorum.*

2. *Dicebant, voce non esse orandum, sed solo corde, eâque spiritûs libertate quæ Divinis legibus subjecta non sit.*

✠(1374.)✠ Emmanuel filius Joannis Palæologi ab Amurathe Rege Turcarum Principatu Thessalonicæ spoliatur.

Scoti misso in Galliam Cardinale Glascoense, renovant fœdus cum Francis, & mox bellum Anglis inferentes insigni prælio vincunt.

Bernabos Vice-Comes hoc tempore sævit in suos, venationi tam insano studio de-

deditus ut aleret canum quinque millia quos alendos distribuebat inter subditos quolibet mense repræsentandos ; qui si strigosiores viderentur , mulctabantur : lumni grandi pecuniâ , & si morerentur omnibus bonis exuebantur. Duos Minoritas ausos eum admonere , tanquam hæreticos comburi jussit : dignus profectò Actæonis supplicio.

✲(1375.)✲ Eò miseriæ in Oriente res Christiana devenit , ut Imperator Græcus Amurathi cœperit esse tributarius, & hujus in expeditionibus adesse cogeretur, argumento certissimo Imperii in ultimam ruinam incumbentis.

In Italiâ populi auctoribus præcipuè Florentinis, in sanctam Sedem rebellant. Unde civitatibus arces impositæ, ad contumaces frænandos.

Uladislaus nepos Uladislai Loctici Poloniæ Regis monachus, ad compescendum regnum Poloniæ, dispensatione Pontificis invitatur.

Carolus Francorum Rex fert legem de filiis Regum consecrandis post decimum quartum ætatis annum , quando mortuis parentibus ipsi impuberes relicti sunt.

Petrus de Lunâ Arragonius magno dein malo Ecclesiæ à Pontifice creatur Cardinalis

lis, dicitur Pontifex commonuisse eum, ut caveret, ne luna sua eclipsin pateretur: Et verè ea magnas Ecclesiæ tenebras induxit.

✲(1376.)✲ Gregorius Pontifex Florentinos propter excitatam superiore anno rebellionem anathemati subjicit, sed non multò pòst per interpositionem S. Catharinæ de Senis ab eodem eos absolvit.

Gregorius XI. Papa cùm bellis Italiæ indiès crescentibus nullus finis inveniretur, hortante maximè S. Catharinâ virgine Senensi Ordinis Dominicani monialium, ut tot malis mederetur, Sedem Pontificiam Romam transferre constituit, quæ ante annos 71. fuerat Româ ob Italicas seditiones Avenionem translata. Quare Pontifex mense Septembri Avenionem deferens Romam pervenit sequentis anni Januario.

Permittit Pontifex nominari ab Electoribus Regem Romanorum Wenceslaum filium Caroli IV. annorum 14. adolescentem, corpore distorto, & animo turpiore, quam filii turpitudinem parens multis nummis deauravit: pro quo promovendo tantum dedit & tanta promisit, ut, cùm dare non posset, Electoribus publica Imperii vectigalia oppignoraverit, & multas urbes Principibus vendiderit. Unde Imperialem

rialem Aquilam ferè penitùs deplumavit, sicut egregiè dixit, qui tunc vivebat, Petrarcha, *Romanum Imperium, cui nihil defuit, nisi modicum Orientis, nihil nunc possidet, nisi modicum Occidentis.* De eodem dixit non unâ vice Maximilianus: *Hoc Carolo pestilentiorem pestem Germaniæ nunquam obtigisse.* Et communi elogio audiît *Pater quidem Bohemiæ, sed vitricus Imperii.* Qui domum suam per evisceratam Germaniam fecit Augustam, sed angustum Imperium. Nec potuit magìs afflixisse Imperium, quàm nundinatione successionis pro filio suo; quam ut mercaretur, singulis Electoribus promisit centum millia aureorum. Quàm immanis hæc summa pro asino ad lyram applicando!

Joannes Palæologus Imperator Constantinopolitanus ab Andronico filio ope Genuensium anteà pulsus, nunc ope Venetorum restituitur, quibus propterea Tenedus Insula data est à Genuensibus erepta.

✲(1377.)✲ Eduardus Rex Angliæ moritur, cui succedit Richardus II. ejus nepos ex Eduardo filio Principe Walliæ defuncto, puer undecim annorum.

Amurathes Turcarum Rex post devictos Bulgaros & Servios, & magnâ felicitate maxima bella gesta in Asiâ & Europâ, in ipsâ

Ser-

Servicâ expeditione à privato quodam occiditur & pro eo imperat filius Bajazethes, qui sequentibus annis in Macedoniam, Epirum, & Hungariam penetravit.

Mare 16. Novembris, ruptis aggeribus, irrumpit in Flandriam, & septendecim pagos submergit.

Renovatur bellum inter Francos & Anglos, ac novum oritur inter Venetos & Genuenses propter Insulam Tenedos.

Messanæ moritur Fridericus Rex Trinacriæ, Mariâ filiâ relictâ hærede, unde posteà magni tumultus enati,

Gregorius XI. cùm primùm Romam venit, intellexit se à Romanis delusum, & à Florentinis spretum, qui apud se pseudo-Minoritam, & pseudo-Prophetam Thormasuccium retinebant, quare secessit Anagniam sacrâ Eucharistiâ prælatâ; sed antequàm Româ discederet, rescripsit contra errores Joannis Wicleffi Angli, Theologiæ Magistri, & Rectoris Ecclesiæ de Luttlevort Diœcesis Lincolnienſis, qui Præfecturâ collegii, & Episcopatu Wigornienſi dejectus, in Pontificem & Ecclesiam virus evomuit, & ob negligentiam Eduardi senioris, & pueritiam Richardi atque Henrici Mareschalli fautoris sui invaluit, & facem accendit, quâ Lutherus & Calvinus

posteà

posteà Occidentem & Septentrionem i
flammaverunt.

HÆRESIS JOANNIS WICLEFF AUCTORE WICLEFFITARUM.

NAtione Anglus erat, professione Sacerdos, & Magister Artium, talenta quæ à Deo a
*cepit convertit contra Ecclesiam, & contra Deum, errorum suorum zizania circa hæc tempora sem*inare cœpit.

1. *Docuit substantiam panis materialis, & substantiam vini materialis manere in Sacramento Altaris.*

2. *Accidentia panis non manere sine subjecto in eodem Sacramento.*

3. *Christum non esse in eodem Sacramento identicè, & realiter in propriâ præsentiâ corporali.*

4. *Si Episcopus aut Sacerdos existat in peccato mortali non consecrare aut ordinare nec baptizare.*

5. *Non esse fundatum in Evangelio quòd Christus Missam ordinaverit.*

6. *Deum debere obedire diabolo.*

7. *Si homo fuerit debitè contritus, omnem confessionem exteriorem esse superfluam & inutilem.*

8. *Si Papa sit præscitus sive reprobatus & malus, & per consequens membrum diaboli, non habere potestatem super fideles sibi ab aliquo datam nisi fortè à Cæsare.*

9. Post

9. Post Urbanum VI. non esse aliquem recipiendum in Papam, sed vivendum esse more Græcorum sub propriis legibus.

10. Contra Scripturam sacram esse, quòd viri Ecclesiastici habeant possessiones.

11. Nullum Prælatum debere aliquem excommunicare, nisi sciat eum esse à Deo excommunicatum; & qui sic excommunicat, fieri per hoc hæreticum & excommunicatum.

12 Prælatum excommunicantem Clericum, qui appellavit ad Concilium vel Regem, eò ipsò traditorem esse Regis Regni.

13. Illos, qui omittunt prædicare vel audire Verbum Dei propter hominum excommunicationem, excommunicatos, & in judicio Dei traditores Christi esse.

14. Licere alicui Diacono vel Presbytero prædicare verbum Dei absque auctoritate Sedis Apostolicæ vel Episcopi.

15. Nullum esse Dominum civilem, nullum esse Prælatum, nullum esse Episcopum, dum est in peccato mortali.

16. Dominos temporales posse ad arbitrium suum auffere bona temporalia ab Ecclesiâ, possessionatis habitualiter, sive ex habitu delinquentibus, & non tantùm ex actu.

17. Populares posse ad suum arbitrium Dominos delinquentes corrigere.

18. Decimas esse puras eleemosynas, posse paro-

parochianos propter peccata suorum Parochorum & Prælatorum ad libitum eas aufferre.

19. Speciales Orationes uni applicatas per religiosos vel Prælatos, non plùs prodesse eidem quàm generales cœteris paribus.

20. Conferentem eleemosynam fratribus ipso facto excommunicatum.

21. Si ingrediatur aliquis religionem privatam, qualemcunque tam possessionatorum quàm Mendicantium reddi inhabiliorem & ineptiorem ad observationem mandatorum Dei.

22. Sanctos instituentes religiones privatas sic instituendo peccâsse.

23. Religiosos viventes in religionibus privatis non esse de religione Christianâ.

24. Fratres teneri per labores manuum victum sibi acquirere, & non per mendicitatem.

25. Omnes esse Simoniacos qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus.

26. Orationem præsciti sive damnandi nulli prodesse.

27. Omnia de necessitate absolutâ evenire.

28. Confirmationem juvenum, Clericorum Ordinationem, locorum consecrationem reservari Papæ, vel Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis & honores.

29. Universitates, studia, collegia, graduationes & magisteria, esse vanâ gentilitate introductas

ducta, & prodesse Ecclesiæ, sicut Diabolus prodest,

30. Excommunicationem Papæ esse censuram Antichristi.

21, Peccare fundantes claustra, & ingredientes esse viros diabolicos.

32. Ditare Clerum, esse contra regulam Christi.

33. Sylvestrum Papam & Constantinum Imperatorem erravisse, dotando Ecclesiam.

34. Omnes de Ordine Mendicantium esse hæreticos, & dantes eis eleemosynam esse excommunicatos.

35. Ingredientes Religionem vel aliquem Ordinem, eò ipsò inhabiles esse ad observanda Divina præcepta, & per consequens ad perveniendum ad regnum cœlorum, nisi apostataverint.

36. Papam cum omnibus Clericis possessionem habentibus esse hæreticos.

37. Ecclesiam Romanam esse Synagogam Sathanæ, neque papam esse Vicarium Christi aut Apostolorum.

38. Decretales epistolas esse apogryphas, & seducere à fide Christi.

39. Imperatores & Dominos sæculares esse seductos à diabolo, ut Ecclesias dotarent.

40. Electionem Papæ à Cardinalibus esse inventum Diaboli.

41. *Non esse de necessitate salutis, credere Romanam Ecclesiam esse supra alias.*

42. *Fatuum esse credere indulgentias.*

43. *Juramenta esse illicita, quæ fiunt in humanos contractus & commercia civilia.*

44. *Augustinum, Benedictum, Bernardum &c. damnatos esse, nisi pœnituerint de hoc, quod habuerint possessiones, & instituerint religiones.*

45. *Omnes religiones à diabolo introductas esse.*

Hi errores Wicleffi in Concilio Constantiensi secundùm hunc ordinem annotati damnati: præter hos etiam docuit alios errores qui colliguntur ex ejus scriptis.

46. *Hominem carere libero arbitrio.*

47. *Omnia peccata prædestinatorum esse venialia, reproborum autem mortalia omnia esse.*

48. *Neque honorandos, neque invocandos esse Sanctos.*

49. *Neque Sanctorum neque Christi reliquias esse venerandas.*

50. *Crucem Redemptoris nullo modo venerandam.*

51. *Idololatriam esse cultum imaginum.*

52. *Vota omnia damnanda esse.*

53. *Repugnare Christianæ libertati obligatum esse ad Horas Canonicas.*

54. *Cantum Ecclesiasticum irridendum esse, & cantores esse sacerdotes Belial.*

55. Be-

55. *Benedictiones omnes esse usum Necromantiæ.*

56. *Nullum esse meritum in jejunio, vel in abstinentiâ à certis cibis.*

57. *Baptismum infantibus non esse necessarium ad salutem*

58. *Baptismo non esse admiscendam olei unctionem.*

59. *Episcopum non esse simplici Sacerdote superiorem.*

60. *Matrimonium lege Divinâ licitum esse inter fratrem & sororem.*

61. *Creaturam quamlibet esse ac vocari posse Deum, quòd illius perfectio sit in Deo ùt in causâ.*

Hucusque errores & hæresis Wicleffi, ex his fructibus cognosci poterit arbor.

✲(1378.)✲ Gregorius XI. Pontifex obit Romæ, vitâ longiore dignus, in cujus locum, urgentibus Romanis, substitutus est Barholomæus Neapolitanus, & dictus est Urbanus VI. Cardinales autem Galli,& quidam alii correpti ob vitia ab Urbano, Fundos digressi, caussatique, vim sibi illatam à Romanis in electione Urbani, eligunt mense Septembri die 29. Cardinalem Gebbenensem, eumque nominant Clementem VIII. qui, relictâ Italiâ, Avenionem se recepit, atque hinc deterrimum illud schisma ori-

oritur, quod fermè quinquaginta annos duravit, tantò periculosiùs, quòd starent ab utrâque parte viri sancti & miraculis clari, Principes & Academiæ, & esset difficile, quam in partem veritas & justitia vergerent, unde etiam illustrissimus Cardinalis Baronius Jacobo Sirmondo significavit, nihil se ægrè reformidare in suis Annalibus, quàm pervenire ad hoc tempus, de quo, quid statuendum, non esset liberè pronunciaturus. Itali (præter Reginam Neapolitanam) Germani, Angli, Hungari Urbanum, Galli & Scoti Clementem, Hispani quidam hunc, quidam illum probârunt. Et terribilis tunc extitit facies ditionis Pontificiæ, & Divinarum humanarumque rerum perturbatio.

Confirmârunt ambo Pontifices electionem Wenceslai, cujus pater Carolus IV. obiit Pragæ 3. Kal. Decembris, ætatis 63. Imperator ambiguæ laudis, & velut ambidexter ad virtutes & vitia. Litterarum suis amantissimus. qui etiam Pragensem Academiam instituit, ut publicis quoq; dissertationibus intereſſet, & cùm aliquando quatuor horis auscultâsset, monitus à Palatinis, cœnæ tempus esse, respondit, *Hæc doctorum fercula gratissimam sibi cœnam esse.* Quinque Linguarum peritissimus erat Lati-

Latinæ, Italicæ, Gallicæ, Germanicæ, Bohemicæ.

✲(1379.)✲ Henricus CastellæRex veneno extinguitur, relicto hærede & regni successore Joanne filio. Creditum est, ex ocreis veneno illitis, à quodam Mauro oblatis morbum contraxisse.

Joanna Regina Neapolitana Clementem comitata Avenionem, ab Urbano Papâ regno deponitur.

Classis Genuensium Venetam profligat, & Genuenses fossâ Clodiâ munitissimâ urbe potiuntur, quam tamen reparatâ classe & resumptis animis sequente anno Veneti receperunt, & inde bellum hoc dictum est Clodianum, ferè æqualibus damnis utrinque consummatum.

✲(1380.)✲ Joanna Regina Neapolitana, cùm prole careret, confectis tabulis sibi hæredem renunciat Ludovicum Andegavensem, Caroli Sapientis Franciæ Regis fratrem, haud dubiè sic instigante Clemente, ut hic partes suas in Italiâ tueretur.

Moritur Carolus V. seu Sapiens Rex Franciæ, quam valde divitem reliquit, inventis in ejus ærario duodevigesies centies millibus aureorum. Successit ei filius duodennis Carolus VI. cognomento *Benematus*. Cui ex testamento patris dati sunt

tutores Philippus Burgundiæ Dux, & D
Joannes Borbonii, ille patruus, & hic av
culus ejus.

Instituitur Ordo Eremitarum S. Hie
nymi à Petro Bambacuttâ nobili Pisano
captus à prædonibus, illis sanctam vit
inspiravit, & monasterium construxit.

DECAS IX.

Ab anno Christi 1380. ad 1390.

1381. MOschi & Tartari acriter inter
depugnant, victoriâ tandem
parte Moschorum stante.

Urbanus & Clemens legationibus ad si
as quisque partes, Principes Christianos
trahere nituntur.

Inter Genuenses & Venetos per Caro
lum Dyrrhachinum pax æqualibus utrinq
conditionibus concluditur, & Clodianum
bellum finitur.

Carolus Dyrrhachinus, vulgò Parvus di
ctus, ab Urbano Papâ ex Hungariâ evoca
tus, in utriusque Siciliæ & Hierosolymo
rum Regem coronatur, qui à Neapolitanis
susceptus. Joannam in Castro-Novo obsi
dit, & compulit ad deditionem, atque in
clusit in munitionibus Lucaniæ & Apuliæ.

Otto-

Ottonem autem maritum ejus primò fugavit, deinde cepit. Deniqúe Cardinales & Eccleſiaſticos partis Clementinæ diriſſimè habuit, ſicuti Hungari ſolent religione & furore animati.

Memorabile illud, quod de Mergolo Genuenſi nobili refertur, cùm is à catamito Imperatoris Trapezuntini colapho cæſus eſſet, neque ſatisfactionem accipere poſſet, paratis Genuæ duabus triremibus, oram Trapezuntinam adeò graviter afflixit, ut huic Pederaſtes Imperator catamitum ſuum dedere cogeretur: remiſit tamen illum ad Dominum ſuum illæſum, fœminam appellare contentus, neque deſtitit, donec Genuenſibus Trapezunti ſtatutum eſt diverſorium, cum multis privilegiis, perpetuum virtutis ſuæ, & luxuriæ atque ignaviæ Imperatoriæ monimentum.

✠(1382.)✠ Caroius Dyrrhachinus Rex Neapolis Joannam Neapolitanam, juſſu Ludovici Regis Hungariæ, eodem loco ſtrangulari jubet, quo ipſa olim fratrem ejuſdem Ludovici & maritum ſuum ſtrangulaverat; quam necem Deus ulciſci viſus eſt peſte, quæ Neapoli 27. hominum millia abſtulit. Poſt necem Joannæ (quæ Romanos in ſeditionem aliquam concitaverat) Clemens coronavit Ludovicum Andegaven-

gavensem Siciliæ hæredem, ab eâ constitutum, qui statim in Italiam triginta millia equitum & innumeros pedites cum Amedæo Sabaudiæ Comite pertraxit.

Ludovicus Rex Hungariæ & Poloniæ moritur, eique succedit Maria filia, Rex, & non Regina salutata, sub tutelâ matris Elisabethæ. Sed brevi ob Procerum odia & invidiam Hungaria turbata est, & evocatus ab Hungaris Carolus Parvus, Poloniæ autem Rex electus est Sigismundus, sed mox illo contempto, Polonia turbari cœpit, donec Hedwigis altera filia Ludovici Polonorum Regina Patri mortuo succederet.

Francorum Rex, ducto in Flandriam exercitu rebelles patruo suo Philippo (qui Jacobum Artavellum Philippi filium sibi patronum factionis suæ elegerant) cæsis acie ad 20. millia, inter quas etiam Artavellus adhuc vivus inventus, noluit sibi vulnera sua curari, igitur tanquam grassator in arbore suspensus est.

✲(1383.)✲ Tartari, victo Demetrio Duce, Moscoviam occupant.

Ludovicus Comes Flandriæ moritur, eique succedit Philippus audax.

Ludovicus Andium sive Andegavensis adoptatus à Joanna Neapolitana Regina, &co-

rona-

ronatus à Clemente Anti-Papa movet adversus Carolum Dyrrhachinum.

Imago Deiparæ in Belgio pugione icta, sanguinem copiosum fundit, & percussor repentè interit.

Leo Armenus, qui liberatus ex carcere Sultani, ad Urbanum venit, auxilia apud Christianos Principes rogaturus, & accepit à Rege Franciæ atque Hispaniæ, unde regio more viveret, cùm Armenia & Syria jam ab infidelibus tenerentur.

✲(1384.)✲ Certantibus inter se Joanne Palæologo, Calo-Joanne Imperatore Constantinopolitano, & Andronico ejus filio de Imperio, Andronicus auxilio Bajazethis Turcarum Regis illud occupat, conjecto patre & fratre Emmanuele in carcerem, & jurans in verba Bajazethis, ejus se clientem ac tributarium profitetur.

Urbanus in Ludovicum Andegavensem Crucem publicari jubet, qui tamen fortiter se tuitus esset, nisi morbo, ex labore contracto, præmaturâ morte magno Caroli Dyrrhachini gaudio sublatus esset. Sunt etiam, qui scribunt, veneno interiîsse, hausto ex fonte infecto, ex quo etiam mortem hausit Amedæus Sabaudiæ Comes.

Liberatus hoc æmulo Carolus à Proceribus invitatus est in Hungariam: appe-

titus quoque in Regem Angliæ insidiis patrui sui Ducis Lancastriæ.

Obiit hoc anno Joannes Wicleff die S. Thomæ Cantuariensis, percussus paralysi, cùm in eum multa blasphema dicere parasset. Humatus in paræciâ suâ *Luttleworth*, donec jussu Constantiensis Synodi exhumatus & exustus est, & cineres ejus in profluentem abjecti, quod viventi utilius contigisset.

✲(1385.)✲ Jagello Dux Lithuaniæ ductâ Hedwige filiâ Ludovici Hungariæ & Poloniæ Regis fit Christianus, accepto simul Baptismo & regno Poloniæ.

Cardinalis Reatinus cæteros Cardinales in Urbanum commovet Luceriæ, qui de eo deponendo cogitant, conspiratione autem patefactâ à Thomâ Ursino Cardinale, sex aut septem capti, & ferreis compedibus vincti, in diris simis carceribus equuleo torti, fame, siti, frigore sic vexati, quasi Caliphum, non Pontificem, Christique Vicarium offendissent. Carolus quoque anathemate ab eo perculsus Luceriæ eum obsidet, capto ejus nepote Butillo, neque hoc satis, urbem etiam occupat & incendit. Resistit tamen ex arce Urbanus, unde quotidiè bruta fulmina anathematum conjicit:

jicit. Tandem corruptis aliquot Ludovici Aurelianenſis Ducibus cum ſuis & captivis Cardinalibus in Apuliæ littus deductus, triremibus Genuenſium, quas in hunc finem evocárat, Genuam deportatus eſt, aliquot in itinere editis ſævitiæ exemplis, quæ, ſi vera ſunt, non ſatis Pontificem redolent. Hac in re non facilè aſſentiendum cujuſvis ſcriptoris calamo, quem ſiniſter affectus facilè atro felle imbuere potuit in tam turbido ſchiſmate.

Carolus Dyrrhachinus in Hungariam proficiſcitur: quo audito mater Eliſabetha & filia Maria pactas olim à parente nuptias accelerant, & Caroli conſilia turbant. Recedit tamen in ſuam Bohemiam huic impar Sigiſmundus à Polonis contemptus & illuſus. Carolus ergò Proceribus ſibi conciliatis, & populo ſpe ac promiſſis illecto, aſſentientibus etiam Reginis, ab Archi-Epiſcopo Strigonienſi coronatus eſt. Secuta tamen mox Hungarorum pœnitentia, adeò ut ſi Dux adfuiſſet, Carolus adhuc in templo cæſus fuiſſet in ipſâ coronatione. Certè vexillum S. Stephani novo Regi præferri ſolitum laceratum fuit, & corvorum ingens multitudo regiis tectis inſedit, quibus oſtentis Rex permotus non ſine timore regnum auſpicatus eſt.

Bellum iterum inter Francos & Angl inardescit.

Joannes nothus Avisi Ordinis Magister fit Rex Lusitaniæ, cùm insignem priùs de Castellanis victoriam retulisset, cum his Gallis, cum illo Anglis certantibns, magnâ humani sanguinis effusione.

Bernabos tyrannus Mediolanensis, dum perdere cupit Joannem Galeatium Comitem Virtutum nepotem suum, ab eo quasi simpliciore, atque Ecclesiasticum Ordinem cogitante deceptus, & in carcerem intrusus, unà cum liberis, ibi veneno necatus est. Joannes autem exinde factus est terribilis vicinis Principibus.

✲(1386.)✲ Carolus Parvus Siciliæ & Hungariæ Rex Auctore Nicolao Garo Palatino invitatus ab Elisabethâ ad convivium à Blasio Forgacho graviter ictus in capite, tractus est in carcerem, ibique admoto plagæ veneno, & faucibus insuper constrictis interiit. Mors ejus Neapolim delata est, cùm de ejus coronatione hic ludi celebrarentur. Statim in locum ejus suffectus est Ladislaus à Francis Lanullotus dictus, decennali major. Thomas autem Sanseverinas Dux partis Andegavensis cum Ottone Brunsvicensi filium Ludovici Andegavensis Regem acclamârunt, matre La-

Ladislai protinus cum liberis Caretam fugiente.

Posthæc Elisabetha mater cum Mariâ filiâ & Nicolao Caro omnia tuta credentes, dum inferiores regni partes sine militum præsidio invisunt, ab Horvato Croatiæ præfecto, olim Caroli Duce, capti sunt. Carus & Forgachus fortiter repugnantes interfecti sunt. Elisabetha ore obstructo dejecta est in fluvium. Maria ducta in carcerem, Comites omnes constupratæ. Verùm statim adfuit cum lectissimis copiis Sigismundus : quo conspecto Horvatus sibi præteritorum veniam spondens, Mariam remisit, coronatus autem Sigismundus, statim in Horvatum expeditionem suscepit, eumque cum præcipuis perduellionis auctoribus captum ac per urbes vicosque circumductum candentibus forcipibus minutatim concidit, ac deniquè equis quatuor decussatis discerpsit.

Paratur in Galliâ ingens classis adtrajiciendum in Angliam (1200. navium fuisse dicunt) sed novis casibus ea dissoluta est re infectâ.

Cyprus Insula deditur Venetis.

Leopoldus Austriæ Dux dictus *militiæ Decus & gloria equitum auratorum* ab Helvetis cæditur, & quidem a vili strumosoque ho-

muncione, cui ſtratus humi ex arme[illegible]m pondere, nomen ſuum aperuerat, trucidati ſunt cum ſuo Duce duo millia, qui dimiſſis equis in oppidum Sempachium impetum fecerunt, & advolantibus Svitiis oppreſſi ſunt. Percuſſor tamen poſtea interceptus graviſſimo ſupplicio interiit.

Urbanus VI. Genuæ appetitus inſidiis & veneno ab amicis Cardinalium quos habebat in vinculis, eos in culeum inſutos demerſit in mare, aut ſtrangulatos, aut caſos cum calce viva in Equili ſepeliit. Quibus viſis duo ejus Cardinales Galeatius & Pileus ad Clementem confugerunt: poſtea hæc Urbanus Lucam ſeceſſit. Hìc iterum fides non temerè adhibenda, variis variè affectu potius quàm æquitate ſcribentibus.

✠(1387.)✠ Joannes Palæologus cum Emmanuele elapſus è cuſtodia obtinet ab Amuratha ut Andronico depulſo Emmanuel ſub tributo annuo Imperium Conſtantinopolitanum teneat.

Carolus Navarræ Rex dum aquæ vitæ fomentis reficitur, adhibita inſuper æneâ pilâ, ignibus plenâ ſcintillâ in lintea ſaliente vivus exuſtus eſt, & 15. diebus dirè tortus interiit ſupplicio ejus criminibus digniſſimo: ſucceſſit ei filius Carolus III. cognomento Nobilis, patri multùm diſſimilis.

Cle-

Clemens Anti-Papa & Urbanus Papa, jura ſua contra ſe invicem acriter tuentur. Nunc quoque Carolo Navarræ & Joanne Arragoniæ Rege (qui defuncto Petro Patri ſucceſſerat) ad Clementem accedentibus, per Petrum de Luna adductis.

Lithuani & Samogitzii adnitente Jagellone eorum Principe & Poloniæ Rege, Chriſtianam fidem amplectuntur.

✲(1388.)✲ Civitates Germaniæ conſpirant in Principes : ſed ab iis gravibus affectæ cladibus quieſcunt : & fœdus hoc pernitioſum diſcutitur.

✲(1389.)✲ Urbanus Papa feſtum Viſitationis B. Mariæ Virginis inſtituit ut ipſa ſuâ interceſſione unionem Eccleſiæ reſtituat. Jubilæum quoq; reducit ad añum 33. in memoriam ætatis Chriſti, ac eodem anno Romæ moritur non abſque ſuſpicione oblati veneni, à quo ut ſibi caveret S. Catharina Senenſis eum monuerat. Cum eo quoque extincta eſt familia ejus, nepote prius caſtris ſuis ſpoliato & poſt ſex annos, dum Venetias navigat, cum matre ac liberis naufragium paſſo. In locum ejus electus eſt à 14. Cardinalibus tunc Romæ præſentibus Petrus Tomacellus dictus Bonifacius IX.

Clementem Anti-Papam Avenione inviſit

visit Carolus VI. Rex Francorum, quando ille Ludovicum Juniorem Andegavensem, Patruelem Regis, filium Ludovici Andegavensis senioris Neapolitanum Regem, Siciliæ & Hierosolymorum inauguravit: inde Ludovicus inauguratus mox in Arragoniam proficiscitur & Volandam filiam Regis Arragonum uxorem ducit, magna de se, & majora de uxore sua pollicitus.

Margaritha Regina Daniæ bellum gerit cum Alberto Rege Sveviæ, eumque captum septem annis in vinculis detinet.

✲(1390.)✲ Amurathes Turcarum Princeps prælio victor quod contra Triballum seu Zirsos gessit occiso etiam eorum Rege Lazaro seu Eleazaro, dum mortuos recognoscit à Triballo inter cæsorum cadavera semi-mortuo protinus sicâ confossus & ipse victor inter victos occumbit, vir fortissimus & 37. præliis confectis semper felix & triumphans. Venationi & aucupio, dum à bello quiesceret, indulgens ideoque canum 40. millia alebat, & falcones plurimos in subditos Comis, in peccantes severus, promissi tenax, & uno verbo talis, quo melioreni, exceptâ superstitione vix inter Christianos Principes optare possemus. Successit illi Bajazethes filius, qui mox fra-

fratre suo Jacupe strangulato regnum auspicatus est. Vocabatur Bajazethes *Gilderun* quod fulmen significat. Hic Asiam cogitans & ambitioni suæ destinans filiam duxit Lazeri Regis Zirsorum, quem Græci Stephanum vocant, filii ejus qui in prælio Cosovano modo ceciderat.

Italis, Gallis & Anglis multis, in Asiam adversus Saracenos excurrentibus, plurimi Christiani à captivitate liberantur, & urbs Tuneton ab iisdem expugnatur.

Mortuo Roberto Rege Scotiæ succedit Joannes, & vult dici Robertus III.

Ludovicus Andium Dux à Clemente Rex Neapolis coronatus ducit exercitum contra Ladislaum filium Caroli Dyrrhachini & hæredem Siciliæ, conatu irrito.

Ad hunc annum præter propter pertinent initia Tamerlanis seu Themiris, fuit natione Scytha seu Tartarus in montibus Sogdianæ patre opilione natus, bellando in Persas fortissimus, & rei militaris peritissimus evasit, sed crudelis: cum urbem aliquam oppugnabat prima die tentorium album, secunda coccineum, tertiâ nigrum extendebat, quo indicabat primo gratiam, secundo paucorum cædem, tertio omnium interitum. Vocare se ausus *iram & flagellum Dei*. Erat militaris disciplinæ ob-

obſervantiſſimus, hinc exercitus ejus omnibus rebus abundabant.

Novi orbis pars Borealis, quæ verſus Grœnlandiam, Islandiam, & Frislandiam inſulas ſe extendit, & à Chronographis Eſtitolandia vocatur, à quibuſdam Frislandiæ piſcatoribus, tempeſtate eò compulſis olim luſtrata, ſed oblivioni tradita, circa hunc annum à Nicolao & Marco Zeno nobilibus Venetis ſub auſpiciis Zichmi Daniæ Regis denuo recognoſcitur.

DECAS X.

Ab anno Chriſti 1390. ad 1400.

1391. BAjazethes Turcarum Rex, Aſiâ minore & Theſſaliâ occupatâ, inhiat Conſtantinopoli, eamque obſidere incipit, obſidionibus ſubinde interruptis, ad octo vel decem annos.

Anglorum Comitiis Weſtmonaſterienſibus impiè ſtatuitur, ut nulla deinceps eſſet appellatio ad Pontificem, neque huic poteſtas in Angliâ excommunicandi.

(1392.) Cunctis Italiæ urbibus tumultuantibus Bonifacius IX. varias earum pererrat, nullibi quietus & nuſpiam ſecurus.

Caro-

Carolus VI. Rex Galliæ incidit in amentiam, cujus occasio fuit Clissonius Comes stabuli à Petro Craonio graviter Lutetiæ vulneratus. Cùm enim Craonius, qui ad Aurelianensem Ducem confugerat peteretur à Rege, & tergiversaretur, ipse Rex Carolus in eum exercitum eduxit, sed cum perveniisset Cenomanos & egressus urbe æstuosissimo tempore, aliunde etiam ipse jam vindictæ cupiditate æstuans, in amentiam incidit, ex quâ tamen arte cujusdam medici visus est respirare, dum interea regni administrationem variis affectantibus Francia periculosis motibus agitaretur.

Cùm Wenceslaus Imperator non jam ùt Princeps sed nequidem ùt privatus homo viveret, sed ùt monstrum triforme ex sævitia, gulâ & libidine compositum, tam crudelis erat, ut familiaris ei socius esset ferox molossus doctus dentibus lacerare, quemcunque ei herus digito monstrâsset, assiduus quoque Comes Carnifex, quem lustricum compatrem appellabat, quòd filium ejus de sacro fonte levâsset, hujus officium erat ad nutum hujus Neronis quemlibet, ùt erat libitum, interficere. Libidinis tantæ fuit coronatus iste porcus, ut alienos toros adulteriis & proprium fæda-

daret ambubajarum colluvie. Præcipuè verò deperibat ſophiam quandam molitricem : imo utriuſque ſexûs infame proſtibulum , & non minùs fœminarum vir, quam fœmina virorum fuit. Deniq; ne vel Veneri venter, vel ventri deeſſet Venus, dies noctesque epulis & vino immadebat. Propter hanc enormitatem ſcelerũ in tantum odium & contemptum venit, ut Pragæ in publicum carcerem cum facinoroſis conjiceretur, ex quo cùm evaſiſſet, nec mutaret mores, iterum variis carceribus inclusus, ex quibus ſemper fugit, & demùm Pragam rediens Principatum ſuum recuperavit. Sæpè potatus veneno, quod ſemper evomuit illæſus , firmâ ejus valetudine miſeriis omnibus, etiam venenis iteratis prævalente.

✲(1393.)✲ Bajazethes Bulgariâ & Walachiâ devaſtatâ, Hungariam invadendi animum adjicit, & in Sirmienſem agrum irrumpit : obſidet etiam terrâ mariq; Conſtantinopolim, ſed ad occurrendum Sigiſmundo, qui cum exercitu Nicopolim jam venerat, iterum obſidionem interrumpit, & cum Sigiſmundo confligit, atque Hungaros magnâ clade afficit : & Conſtantinopolim reverſus, eò tunc Emmanuelem Imperatorem adigit, ut vicus unus cum ſuo

suo Præfecto, atque Mesquita Turcis assignaretur in urbe, & hac initâ conditione, pacem aliqualem componit : quæ tamen omnia, ne executioni hoc tempore darentur, victoria Tamerlanis tantisper impedivit.

Carolus Franciæ Rex grave periculum adiit, dum repræsentat in ludo sylvestres homines & Satyros, & Dux Aurelianensis ad motâ face, ut saltatorum aliquem internosceret, uni eorum villis lineis ignem admovit, qui pice eorum corporibus adhærebat ; hinc ferale incendium, quo quatuor ex iis ludionibus absumpti sunt, quintus servatus, ægrè Rex ipse, qui paulò pòst in pristinam recidit amentiam, & pristinis calamitatibus regnum quoq; objecit.

Obiit hoc anno Parisiis Leo Rex Armeniæ, sepultus in albis more patrio, in æde Cælestinorum, facultatibus suis ita distributis, ut neque filius ejus nothus, nec pauperes, nec ejus domestici, neque domûs præfecti conquererentur, quibus divitiæ ex multis regnis Christianorum precariò collectæ fecêre satis.

✲(1394.)✲ Academia Parisiensis tres vias tollendi schismatis proponit Cessionis, compromissionis, & Concilii generalis~, Clemens autem acceptâ hac epistolâ Parisiensis Academiæ, furore amens (cui Petrus

trus de Lunâ ignes subjecit) accedente levi morbo extinguitur Avenione apoplexia tactus: vir pecuniæ, quàm religionis sollicitior, qui in tantâ egestate suâ reliquit nihilominùs in Camerâ Apostolicâ trecentum aureorum millia, ejus successori, quàm sibi utiliora. Eidem statim à schismaticis Cardinâlibus substitutus est Petrus de Luna Arragonius, dictus ab eisdem Benedictus XII. & Avenione coronatur. Bonifacius autem Romæ vix non cæditur, ægrè subductus à Ladislao Rege Neapolis.

✲(1395.)✲ De modis tollendi schismatis in variis Academiis disceptatur.

Wenceslaus Romanorum Rex Joanni Galeatio Comiti Virtutum centum quinquaginta millibus florenorum vendit Ducatum Mediolanensem, utdeinceps Galeatius Dux Mediolanensis appellaretur: quâ nundinatione sibi Wenceslaus multùm pecuniæ sed dolorem simul accersivit, ob eam maximè causam ab Electoribus postmodùm depositus.

Carolus Rex Franciæ iterum in amentiam incidit, quo morbo etiam multi ex nobilibus & plebeis tacti sunt. Repentè enim furebant, quasi compuncti acubus, unde quidam magicas artes suspicati sunt; de quibus accusata Valentina filia Galeatii, uxor

uxor Ducis Bituricensis, aulâ ejecta est. Quod & magis creditum est, quia solæ preces huic malo remediũ ferebant. Fortè potiùs hæc lues sublata demùm est ob expulsos quartâ nunc & ultimâ vice Judæos, in Christianissimam regionem nunquam redituros.

✲(1396.)✲ Sigismundus Hungariæ Rex copiis auxiliaribus ex Gallia cum præcipuis Ducibus & nobilissimo equitatu acceptis roboratus, exercitum centum millium armatorum educit contra Bajazethem, quibus hic cum ducentis Turcarum millibus prope Nicopolim occurrit : ibi temerè & inconsultâ ferociâ pugnam auspicantibus Gallis, qui fingebant injuriam suæ genti fieri, si Hungari (uti sapienter suadebat Sigismundus initium pugnandi ab his tanquàm Turcicarum pugnarum magis gnaris sumi debere) primam invadendi gloriam Gallis præriperent : ita infeliciter pugnatum est, generosè tamen & fortiter, ut tametsi jam cæsa essent sexaginta Turcarum millia, & certa esset victoria Christianis, si Hungari supervenirent, nihilominus, quia equi Francorum sine sessoribus visi sunt magno numero redire in castra, quos Franci ad tantò expeditiùs & meliùs cum hoste pugnandum studiosè dimiserant, Hungari opinantes Gal-

Gallos plerosque jam cecidisse unà omn
cum Rege suo fugam arripuerunt. Tu
autem fugâ tam præcoce animati & fortio
res ac ferociores effecti, viginti Christia
norum millia partim in acie, partim in fu
gâ cecîderunt, præter octo captos cæter
ad unum omnibus Francis deletis. Qua
Bajazethi hæc victoria fuit fortunata, tan
Christiano nomini ignominiosa, qui gl
riæ inanis invidentiâ, & intempestivæ æ
mulationis ardore tantùm sibi stragem &
hosti suo adoream adsciverunt, & quan
tùm fortitudine suâ in regnando promer
ti sunt laudis, tantùm ex temeritate sua &
stolida ferocia in æmulando dedecoris sib
comparârunt: tam pupugit Sigismundum
hæc probrosa fuga & inde secuta strages,
ut viginti duos menses non ausus ád suos
redire, latuerit. Sed & suspicio hujus Cladis
fortis erat in Joannem Galeatium, quasi is
omnia Bajazethi indicâsset. Verbo si rite
pendantur omnia, tam tristia Christiano
rum culpâ acciderunt.

Joannes Arragoniæ Rex in venatione
ex spectri terrore lapsus equo moritur,
cui Martinus ejus frater tunc absens in Si
cilia, succedit,

✲(1397.)✲ Tamerlanes Scytharum
seu Tartarorum Rex domitis Parthis, Persis,

Assy-

Assyriis, ac totâ Asiâ cum sexcentis peditum millibus & quadringentis millibus equitum, ferreâ armorum inundatione, obrutâ & occupatâ, Bajazethem omissâ obsidione Constantinopolitanâ occurrentem prælio vincit & capit, occisis ducentis Turcarum millibus, ac caveâ æneâ clatratâ per modum feræ inclusum, per totam Asiam cum ludibrio circumfert, ejus dorso usus pro scabello, dum equum conscenderet, donec quatuor fermè pòst annis idem ipse Bajazethes mortem sibi adscivit, capite ad caveam allisо.

✠(1398.)✠ Wenceslaus Imperator multiplici suorum admonitione compulsus ad tollendum schisma Pontificium Rhemos proficiscitur ad Regem Francorum, cum quibus etiam cæteri Principes ejusdem dissidii diuturnitate fessi urgent Bonifacium Romæ, & Benedictum Avenione, ut abdicantes, locum facerent novæ electioni: Bonifacium quidem audientem nonnihil habuerunt, sed Benedictum pervicaciter renuentem. Igitur Avenio à Busicaldo obsessa, & à civibus dedita est. Benedictus autem munitissimo palatio se continebat, deniqúe etiam ad juramentum adigitur, non exiturum se inde, donec esset Ecclesiæ pax reddita. Benedictum quidem

dem juvare conatus est adductâ classe Re
Arragonius, verùm hyeme Rhodanum fl
vium adeo diminutum expertus est, u
multis suorum perditis, abire compelle
tur. Certè si Benedicto sic ad pacem co
acto per Francos, piger Wenceslaus Bo
nifacium fortiùs & seriò magis adegisse
schisma profligatum fuisset, cùm verò u
pars, eaque vegetior & animosior tantù
pressa fuerit, aliâ integrâ, intactâque: no
est extinctum malum, sed magis propaga
tum. Franci enim neutri amplius pare
voluerunt, ab utroque se subtrahentes
multis quidem hanc subtractionem appro
bantibus, sed multis quoq; impugnantibus

✲(1399.)✲ Mittuntur ex Francia Em
manueli Imperatori Constantinopolitano
suppetiæ, Duce Bussicaldo, qui Turcis
fortiter resistit, & excursiones compescit.

Hospitalarii Equites in Cariâ exstruxe
runt Castellum à S. Petro dictum, in qu
solebant excubare canes, distinguentes
Turcam à Christiano, huic adulantes, &
illum lacerantes: horum canum unus Chri
stianum à Turcis fugitivum quotidiè in syl
vâ diù panis sibi oblati portione pavit, nec
detectus nisi à suo alumno, quòd indies
ille fieret strigosior.

Bonifacius IX. anatas seu vacantias Be
nefi

neficiorum à Joanne XXII. tentatas, restaurat.

✠(1400.)✠ Celebratur annus Jubilæus Romæ, quanquam Wicleffistæ indulgentias ut furiosi canes lunam allatrarent.

Maria per brumam hoc anno ita congelata sunt, ut siccovestigio è Lubecca per mare usque in urbem Sundensem, & inde in Daniam perveniretur, quâ occasione usi milites Teutonici Massagetis prosperè bellum intulerunt.

Multi Græci immanitatem Turcarum fugientes in Italiam secesserunt: inter quos fuit Emmanuel Chrysoloras Bizantinus, ex illustri familia oriundus, qui à Joanne Palæologo Constantinopolitano Imperatore missus, ut Regum opem imploraret, munere perfunctus in Italia substitit, & Græcas litteras, quæ fermè 700. annis ab Italia exulaverant, restituit.

Emmanuel Constantinopolitanus Imperator Occidentis Reges invisit, auxilia contra Turcas imploraturus, sed præter magnificas exceptiones & promissa nihil reportat.

Ladislaus facili negotio recipit regnum Neapolitanum, Ludovico, qui deliciis magis quàm regno intendebat, turpiter in provinciam suam revertente.

Wenceslaus tandem hoc anno ab El
ctoribus exauctoratus est ob neglectu
Imperium, libidinem, crudelitatem, & fa
dissimos mores. Wenceslaus autem, qu
erat animi stupiditate nihil propter ho
vel movens, vel motus, imo ut aliquo jur
magni momenti cederet, auro repudiat
tantùm aliquot vini plaustra exegit; qu
facto satis docuit se pluris facere convi
um, quam Imperium regno Bohemiæ de
inceps insorduit: donec tandem ora
seditione Pragæ ex consternatione & in
candescentia animi, apoplexia tactus inte
riit anno Christi 1419. ætatis suæ vel po
tius ignaviæ LVII.

In locum Wenceslai suffectus est Frider
ricus Brunsvicensium ac Luneburgensium
Dux Princeps bellicosus & prudens, qu
tamen mox in reditu a Comitiis prope
Fritzlariam per insidias trucidatus est, a
Comite Walechiano.

Huic aliqui substituunt Jodocum Barba
tum Marchionem Moraviæ. Etsi non de
sint, qui eum demum post Rupertum ele
ctum scribant. Ut ut sit Moravus statim
sexto post Comitia mense obiit inglorius,
sunt etiam qui hos duos planè omittunt
inter Cæsares referre.

Anno

Anno igitur 1400. Rupertus Dux Bavariæ & Comes Palatinus Rheni electus est Rex Germaniæ, & cum ab Aquisgranensibus excluderetur, confirmante Imperium Romano Pontifice, diadema Regium suscepit Coloniæ Agrippinæ, Princeps acri ingenio, magno animo, & prono in litteras, salutis publicæ studiosissimus, nil habuit antiquius, quàm collapsum pœne Imperium restaurare.

SÆCULUM DECIMUM QUINTUM,

Continens res in Eccles. memorabiles, quæ contigerunt ab anno Christi 1400. ad annum 1500.

DECAS I.

Ab anno Christi 1400. ad 1410.

1401. REcrudescente bello inter Anglos & Scotos, hi in Angliam irrumpentes prælio ab Henrico Angliæ Rege vincuntur, quo flos Scoticæ nobilitatis periit. David etiam Regis Scotiæ filius natu maximus, quòd libidinosius viveret in carcerem conjicitur & fame necatur.

Sigismundus Rex Hungariæ, cùm quosdam Barones qui eum post cladem Neapolitanam malè exceperant, securi percussis-

set,

set, ab aliquot conjuratis captus in carcerem conjicitur, creditâ ejus custodiâ quibusdam nobilibus, quorum patrem cum reliquis occiderat, sed eorundem matris operâ elapsus in Bohemiam fugit, indeque cum exercitu rediens regnum Hungariæ recuperat, pulso Ladislao Neapolitano, qui Jaderam, quam suam jam fecerat, Venetis vendit, ac Neapolim redit.

Emmanuel Imperator Græcorum ex Occidente Constantinopolim revertitur, & derelictus ab Occidentalibus (qui tum victo Bajazethe Syriam recuperare facilè potuissent, nisi schismate divisi fuissent) à Machomete (Præcipuus is erat inter 14. filios Bajazethis victi, qui & cœteris multis præliis prævaluit) pacisci coactus est & ex victoria Tamerlanis ac strage Turcarum hoc tantum obtinuit, ut Imperio non privaretur.

✲(1402.)✲ Circa hoc tempus Tamerlanes Smyrnam penitus delevit: in Sebastia quoque horrendum sæviit, in qua duodecim hominum miriadas interemit, pueris ac mulieribus ungulis equorum conculcatis: quo spectaculo Tamerlanes oblectari solebat. Quia verò Rex Indorum fines ejus depopulari cœpit, ad sua rediit, eundemque Regem victum ad pacem

admisit, ac Saramacandam, olim Marcandam dictam, Imperii sui sedem, variarum devictarum gentium spoliis exornavit. Quid exinde præstiterit, latet: certum est filios ejus à paterna virtute defeciſſe, nec hæreditatem à Patre relictam satis fortiter & sapienter conservâsse.

✲(1403.)✲ Hospitalarii Rhodiequites Sultanum Ægypti Saladinum in tantum vexant, ut turpem & sibi ignominiosam pacem cum illis inire compulsus sit.

Mulier quædam aquatica sive Siren hoc anno ad Edanum fluvium Holandiæ capta est, quæ veste venustè induta ducta est Harlamum, nere etiam didicit, pane & lacte victitans, semper muta, & Crucifixum adorans, ideoque post mortem ritu Christiano sepulta, habita tum grande miracylum sine omni periculo fictionis, & res probata testibus omni exceptione majoribus.

Benedictus XIII. operâ Francorum & Arragoniorum fugit ex Palatio suo Avenionensi eique Cardinales sui iterum adhærent, qui nonnihil ab eo defecerant. Et Franci obedientiam iterum præstant, & Gerson vir tunc temporis eruditissimus Massiliam ad eum mittitur in causa schismatis acturus. Benedictus autem ferociorem

ciorem se Francis exhibet, dum confirmationem electionum tempore subtracti obsequii, eis denegat.

✲(1404.)✲ Bonifacius Papa IX. meritur, ad quem Benedictus Anti-Papa miserat legatos, de pace facienda, verum illius morte interveniente res non est effectum suum sortita : quare Romæ substituitur loco defuncti Papæ Cosmas Meliorratus Sulmonensis qui coronatus est 2. Novembris & nominari voluit Innocentius VII.

Moritur hoc eodem anno Philippus Burgundus dictus *intrepidus* in stabulo seu Tabernâ diversoria Hallis in oppido Hannoniæ septuagenarius & tam pauper, ut uxor ejus margaritha bonis ejus mobilibus ex juris formula nuncium remiserit, impositis sepulchro viri sui zona, crumenâ & clavibus. Successit ei Joannes Philippus cognomento *Audax*: at filia Margarita nupsit Ludovico Delphino Duci Aquitaniæ Caroli VI. primogenito, impubes impuberi.

Angliæ Regem Ecclesias spoliare cogitantem Thomas Arundelius Archi-Episcopus Cantuariensis constanter & fortiter inhibet.

Turbatur Roma sub initium Pontifica-

tûs Innocentii, Ladislao Rege Siciliæ cum exercitu accedente : tunc Viri VII. electi qui urbem administrarent, iique omnes Gibellini, Quelphis utcumque se se tuentibus, cùm utraque factio potentes familias sibi addictas numeraret. Atque sic discordiâ tempore Bonifacii fugatâ, redit in urbem eo demortuo.

✲(1405.)✲ Innocentius Papa Romam relinquere cogitur atque Viterbium se recipere propter exortos tumultus, cùm nepos ejus seditiosos undecim captos necâsset. Vocatus à nonnullis Ladislaus cum copiis, à Romanis pro libertate mori paratis rejectus est, & reipublicæ status mutatus, ac Triumviris, quos *Bonos Viros* vocabant, commissus. Appellit quoque Benedictus Genuam vocatus à Bussicaldo & Archi-Episcopo Pileo Marino viro Sanctissimo : Ubique magnificè exceptus, copiæ tamen, cum quibus venerat, exclusæ sunt: quæsiti concordiæ modi à Cardinalibus utriusque partis irrito, tamen conatu, utroque Pontifice adversario suo cedere nolente.

Francia & Anglia laborant graviter tam externis, quam domesticis dissidiis. Henricus Rex Angliæ Richardum Scropum, Archi-Episcopum Eboracensem

sem & Thomam Mombraium Mareschallum a Comite Westmerlandiæ conspirationis accusatos, ad ignominiosum supplicium rapi jubet: dicitur hic Præsul post mortem claruisse miraculis, & Thomæ caput diu expositum nunquam computruisse. Innocentius auctores necis Scropianæ perculit anathemate, & Henrico sagum militare Præsulis mittenti cum his verbis: *Agnosce an sit tunica filii tui, an non?* scitè respondit: *Fera devoravit filium.* Quibus verbis Scropum Innocentem, & percussorem ejus tyrannum indicavit.

Ordo Canonicorum Sæcularium Venetiis à B. Laurentio Justiniano instituitur.

✠(1406.)✠ Innocentius VII. revocatur in urbem & tanquam legitimus Dominus magno gaudio recipitur, qui statim in Ladislaum etiamnum Hadriani molem occupantem anathema emisit, Ladislaus autem mox Pontifici se submisit, & pacem composuit: quâ diù frui non potuit Innocentius septuagenarius paulò pòst apoplexia mortuus. Cui Cardinales Romani Angelum Corarium virum doctum & eximiæ pietatis suffecerunt & eâ cautione præstitâ coronârunt, ut Benedicto competitore dignitatem deponente, ille quoque abdicaret. Dictusque est Gregorius XII.

Moritur Robertus Rex Scotiæ ex mœrore capti alterius sui filii Jacobi, ab Anglis, pro constituto in captivitate (quæ tamen plus illi ad regios mores & pietatem profuit quàm libertas) per annos viginti duos, regnum administravit Robertus patruus Jacobi.

Obiît etiam Henricus Castellæ Rex, succedente filio Joanne 22. mensium puero.

✲(1407.)✲ Agitur magnis viribus de concordia inter Benedictum & Gregorium XII. operâ Cardinalium utriusque partis & Regis Francorum selectâ urbe Saonâ, ad conventum, sed res tota iterum abiît inventos, propter tergiversationem Gregorii sibi à Ladislao, & urbe Francis addicta metuentis, Benedicto in speciem ad id parato: qui etiam plenis deinde buccis increpuit concordiam à se quæsitam sed à Gregorio impeditam & repudiatam.

Ludovicus Dux Aurelianensis frater Caroli VI. Regis Galliarum jussu Joannis Burgundiæ Ducis per sicarios insidiosè cæditur, qui Ludovicum regis nomine ab uno è cubiculariis regiis consilii hujus conscio evocatum cùm pergeret ad Palatium mulo insidens, & famulo præferente facem invaserunt, & præscissâ dextrâ effusoque cerebro multis ictibus trucidârunt.

Joan-

Joannes autem necis auctor interrogatus de crimine mox equis conscensis in Burgundiam suam auffugit.

(1408.) Gregorius XII. novos Cardinales creat.

Absente Pontifice Viterbii Ladislaus Rex Neapolitanus Romam recuperare tentat, sed à Paulo Ursino Pontificis Duce repellitur, & Neapolim cum exercitu redire cogitur.

Pontifici utrique à Gallis obedientia subtrahitur. Igitur Benedictus vir præferocis ingenii in Regem Francosque furit litteris, quæ publicè tortoris manu crematæ sunt, & duo ejus fautores ignominiosè tractati, ut in dedecus Pseudo-Pontificis ignominia redundaret, & Bussicaldo mandatura, ut huic manus injiceret, & captivum teneret, quod Benedictus subodoratus, fugit è Portu Veneris in portũ Illiberitanum ad radices montis Pyrenæi ut saltem esset Pontifex in sua patria Catalaunia, qui orbis terrarum Pontifex esse non poterat.

Benedicto Perpiniani, & Gregorio Aquileiæ concilium indicentibus, Cardinales indicunt Pisis Concilium generale, & utrumque Pontificem illum evocant, dum Gregorius Senis precario moraretur. Concilium suum Benedictus celebravit Perpi-

niani cujus hæc summa fuit, præter omnium spem, ut Benedictus rogatus cederet Pontificatu.

Joannes Huß vir ingenio peracri, & sacerdos eloquens ab Academia Pragensi damnatur, maximè adnitentibus Teutonicis, quos tamen Joannes callidè depressit; effecit enim, ut pars Bohemica cœteris simul junctis æquipararetur, sic jubente stolido Wenceslao, quò hæc vergerent nihil curante. Quare Pragensis Academia a Teutonicis deserta, Lipsiensis instituta, aucta Erfordiensis, simul Teutonicis & Bohemis plaudentibus, hi quòd soli in patria suâ regnarent, inter cæcos luscì & illi se ab impiis separatos Germaniæ Catholicæ gratularentur. Itaque Joannes Huß non jam occultè ùt antea sed publicè virus evomuit, adscitis sibi sociis & fautoribus Hieronymo Pragensi artium magistro & Jacobetto Misensi ex urbe Missâ Bohemiæ. Quibus statim se opposuit Stinco seu Subinco cognomine Lepus Archi-Episcopus Pragensis, qui Wicleffitarum supra ducenta volumina pulcherrimè descripta & deaurata comburi jussit, quam ob causam Joannes impotentissimè ex pago Husso oblatravit. Quem Deum minùs quàm hominem reformidantem, Rex Wenceslaus edicto tantisper compescuit.

HÆRE-

HÆRESIS JOANNIS HUSS, DUCIS HUSSITARUM.

1. *Docuit Ecclesiam esse Universitatem prædestinatorum.*

2. *S. Paulum nunquam fuisse membrum diaboli, licèt fecerit quosdam actus actibus Ecclesiæ malignantium consimiles.*

3. *Præscitos non esse partes Ecclesiæ.*

4. *Duas naturas humanitatem & Divinitatem esse unum Christum, quæ propositio nimis cruda parùm est consentanea unioni personali, quæ non propriè fit sine ullâ mixtione, aut confusione Divinitatis cum humanitate.*

5. *Præscitum, etsi aliquando sit in gratiâ secundùm præsentem justitiam, nunquam tamen partem esse Ecclesiæ, contrà verò prædestinatum semper manere membrum Ecclesiæ, licèt aliquando excidat à gratiâ præsenti.*

6. *Sumendo Ecclesiam pro communione prædestinatorum, Ecclesiam esse articulum fidei.*

7. *S. Petrum nec fuisse, nec esse caput Ecclesiæ Catholicæ.*

8. *Sacerdotes criminosè viventes polluere Sacerdotii potestatem, & sic ut filios infideles sentire infideliter de septem Sacramentis, de clavibus, officiis, censuris, moribus, cæremoniis, & sacris rebus Ecclesiæ, veneratione reliquiarum indulgentiis & Ordinibus.*

9. *Papalem dignitatem à Cæsare inoleviſſe,*

& Papæ

& Papæ perfectionem & institutionem à Cæsaris potentiâ emanâsse.

10. Nullum sine revelatione rationabiliter asserere posse de se vel de alio, quòd sit caput Ecclesiæ particularis, nec Romanum Pontificem esse caput Ecclesiæ Romanæ particularis.

11. Non esse credendum, quòd Romanus Pontifex sit caput Ecclesiæ, nisi Deus eum prædestinaverit.

12. Neminem gerere vicem Christi vel Petri, nisi Christum sequatur in moribus.

13. Papam non esse verum successorem Petri, si vivat moribus Petro contrariis.

14. Doctores ponentes aliquem per censuram Ecclesiasticam emendandum, si corrigi noluerit, sæculari judicio tradendum esse, pro certo sequi in hoc Pontifices Synagogæ Judaicæ Scribas & Pharisæos, & esse homicidas deteriores Pilato.

15. Obedientiam Ecclesiasticam esse obedientiam secundùm adinventionem Sacerdotum Ecclesiæ præter expressam auctoritatem Scripturæ.

16. Humana opera immediatè dividi in studiosa & vitiosa, adeò ut peccatum mortiferum hominis vitiosi omnes illius actus universè infuciat, & è contrario virtus studiosi omnes ejus actus universè vivificet.

17. Sacerdotes Christi viventes secundùm legem ejus, & habentes Scripturæ notitiam, & affectum ad ædificandum populum, debere prædicare,

dicare, non obstante Papæ, vel alterius Prælati prohibitione aut excommunicatione.

18. Quemlibet ad Sacerdotium accedentem, prædicantis officium de mandato accipere, & mandatum illud debere exequi, non obstante excommunicatione.

19. Clerum per censuras Ecclesiasticas excommunicationis, suspensionis, & interdicti ad suam exaltationem populum laicum sibi suppeditare, avaritiam multiplicare, malitiam protegere, & viam præparare Antichristo.

20. Papam, si malus est, & præsertim si est præscitus, esse diabolum, furem, & filium perditionis, & nequidem membrum, multò minùs caput esse Ecclesiæ.

21. Gratiam prædestinationis esse vinculum, quo corpus Ecclesiæ, & quodlibet ejus membrum jungitur Christo capiti insolubiliter.

22. Papam & Prælatum malum & præscitum esse æquivocè pastorem, & verè furem ac latronem.

23. Papam etiam secundùm officium non debere dici sanctissimum.

24. Papam, si vitam agat Christo contrariam, licèt electione Divinâ & humanâ promotus esset, aliunde tamen, quàm per Christum, ascendere in ovile ovium.

25. Condemnationem articulorum Joannis Wicleffi, esse à ratione alienam, iniquam & malefactam.

26. Non

26. Non eò ipsò esse personam legitimè e
ctam, vel verum, aut manifestum successore
aut Vicarium Petri Apostoli in officio Eccles
stico, quòd electores, vel major pars eorum con
senserit, vivâ voce secundùm ritus hominum
personam aliquam, verùm operibus electi crede
dum esse, eóque ipsò, quò quis copiosiùs operatu
meritoriè ad profectum Ecclesiæ, habere à Do
copiosiùs potestatem.

27. Non esse scintillam apparentiæ, quòd o
porteat esse unum caput in spiritualibus regn
Ecclesiam, quod semper cum ipsâ militante con
versetur & conservetur.

28. Christum sine talibus monstruosis capiti
bus per suos veraces discipulos sparsos per orbem
orbem terrarum meliùs suam Ecclesiam regula
turum esse.

29. Apostolos & fideles Sacerdotes Domini
strenuè in necessariis ad salutem Ecclesiam regu
lâsse, antequam officium Papæ fuerit introdu
ctum, sicque facturum deficiente Papâ.

30. Nullum esse Dominum civilem, nullum
Prælatum, nullum Episcopum, dum est in pecca
to mortali.

Hi sunt articuli triginta Joannis Huß ad ver
bum descripti in Concilio Constantiensi: ejusdem
veneni cum Wicleffi & Waldensium fœtidis apo
stematis

DE

DE PETRO DRESENSI, aliàs TRACENSI ET JACOBELLO.

Circa eadem tempora Petrus Dresensis Germanus, exul à patriâ, quia phreneticum Wandalorum humorem imbiberat, Pragam confugit, ubi apertis scholis traxit ad se ejusdem secum patriæ quendam nomine Jacobellum, qui sibi munus concionatoris assumpserat; hi fœdere juncti communi consensu in seminandis zizaniis suis operam impenderunt, id imprimis inculcando, necessariam laicis esse sub utrâque specie communionem.

✲(1409.)✲ Celebratur Concilium Pisanum in causâ schismatis, cui Patriarchæ tres, Archi-Episcopi 180, Episcopi & Abbates 390, Doctores 282. interfuêre, & in eo depositi Benedictus & Gregorius, datâ Cardinalibus facultate creandi novum Pontificem, à quibus proinde electus est Petrus Philarchus Bononiensis, in Creta Insula enutritus, Minorita Cardinalis, dictus Alexander V. Quibus auditis Gregorius & Benedictus fugerunt, ille Ariminum, & iste Barcinonem. Gregorius in fuga dissimulato habitu in equo cum solis duobus peditibus se proripuit, ejus autem Confessarius in veste Pontificia & apparatu subsequens, captus & malè habitus est: Vir erat Gregorius, in quo ad Pontificiam digni-

dignitatem nihil desiderabatur, quàm nimiam retinendæ Sedis cupiditatem his temporibus non accendisset nimio in promovendis affinibus studio, virtutis Pontificiæ certo & vulgari naufragio, exindè palam fiebat, corruptum eum, & aliumse ipso nunc esse, quam ab initio Pontificatûs sui videbatur.

✠(1410.)✠ Alexander V. mense sui Pontificatûs duodevigesimo Bononiæ moritur, cui à Cardinalibus sufficitur Balthasar Cossa seu Coxa Neapolitanus, dictus Joannes XXIII. tantò Pontificatûs honore indignior, quantò appetentior, belli quàm pacis artibus melior, qui vi potiùs & nummis, in pauperes Cardinales effusis, & Ludovici cum classe vicini, eumque exoptantis metu, quàm ex meritis suis creatus est.

Rupertus Romanorum Rex à Florentinis pellectus in Italiam, adversùs Galeatium Mediolanensem Regulum rem gessit infeliciter. Inde in Germaniam redux inopinâ morte Oppenhemii defungitur anno ætatis 58. Imperii decimo, sepultus Heydelbergæ in æde S. Spiritûs à se exstructâ.

Post Rupertum Electores in Comitiis Augustalibus elegerunt Sigismundum Caroli IV. filium, primùm Hungariæ, pòst etiam, defuncto Wenceslao, Bohemiæ Regem.

Regem. Cùm ei à reliquis ob dignitatem regiam deferretur prærogativa suffragii, dicitur, se ipsum elegisse, *Me*, inquiens, *egonovi, alios non item, cùm nesciam, an quispiam alius æquè sit idoneus capessendo orbis Imperio, in tantâ præsertim rei Christianæ ob pluralitatem Pontificum confusione, me ipsum igitur nomino.* Cordatum Regis candorem mirati cæteri Proceres, votum ejus unanimi consensu approbârunt. Neque tamen coronatus est, nisi post annos quatuor, quia Wenceslaum sibi nonnihil adversantem expertus est, in hoc tantùm fortem, ut fratrem propter bonum Ecclesiæ dignitatem hanc acceptantem turbaret.

Poloni sub Uladislao Jagellone Rege in duobus magnis præliis ingentem de Prussis & equitibus Cruciferis victoriam reportant.

In Angliá Joannis Huß scripta tanquam hæretica publicè per carnificem comburuntur.

DECAS II.

Ab anno Christi 1410. ad 1420.

1411. JOañes XXIII. Romam venit, & per Ludovicum Siciliæ Regem, & Sfortiam

tiam atque Paulum Ursinum Pontificiarū copiarum Duces Ladislaum Regem Neapolitanum, Italiæ turbatorem magnâ strage vincit.

Duo laniones Cossulinus & Mongiolinus Bononiæ tyrannidem occupant, & nobiles plurimos boum & pecudū more mactant & jugulant. Quod idem fecerunt laniones Parisienses, qui hoc tempore in gratiam Ducis Burgundi contra Regem & Delphinum incitati rexerunt Lutetiam, verum utrobique ab honestis civibus retusi & suppressi sunt.

✠(1312.)✠ Joannes Huß suas hæreses per Bohemiam disseminat, occasione usus Albici Archi-Episcopi Pragensis, supina ignaviâ & sorditie, sordibus ipsis sordidiore, avaritiâ, vix credendâ. Hic enim claves cellæ vinariæ servabat secum in sacra, & vix non ad pectus appendisset, loco crucis Archi-Episcopalis: Oblata sibi edulia vendebat, & equos non alebat, quoniam etiam noctu comederent. Et alia ejusmodi sordium paradoxa: tunc ergo indormiente tali Præsule, quem socors Wenceslaus in locum Stinconis suffecerat, missi ab Husso qui contra indulgentias, Pontificem & Ecclesiam debaccharentur, & tametsi Wenceslaus Hussum sic jubente

Joanne

Joanne XIII. Pragâ tandem ejecerit, ejus tamen sectarii gravius tumultuati sunt & facti sunt ferociores.

S. Vincentius Ferrerius plurimos Judæos in Hispania, insuper & infinitam multitudinem Saracenorum virtute Crucis quæ eo concionante super auditorum vestes videbantur, ad Christum convertit.

Sigismundus Imperator venit in Italiam & cum Pontifice agit de instituendo concilio Constantiensi, ad schisma penitus tollendum.

✲(1413.)✲ Ladislaus Neapolitanus Rex adjuvantibus fautoribus suis per fracta mœnia occupat Romam & expilat, vix Pontifice cum suis Cardinalibus fugâ elapso. Moliebatur tunc Ladislaus dominatum in totam Italiam, sed tam ampla desideria brevi mortualis loculus continuit.

Sigismundus Imperator & Pontifex magnum vitæ periculum subeunt Cremonæ, ubi Gabrinus Fundulus Dominus urbis decreverat utrumque hospitem ex alta urbis turre præcipitare, in qua splendido convivio dolosè exceperat. Avertit Deus casum, qui solus in eum potuit in quem nulla jura valebant.

Samogitia Poloniæ Provincia adnitente Jagellone Poloniæ Rege Christianam fidem amplectitur. Hen-

Henricus IV. Rex Angliæ moritur, ei filius Henricus V. succedit.

✲(1414.)✲ Obiit hoc anno Ladislaus veneno sublatus, à medico Judæo, cujus filiâ Rex libidinosus abutebatur, sed & pater sceleratus nummos filiæ prætulit, ei suasit medicamine quodam oblinere pudenda sua, ad excitandam in Ladislao libidinem: quod cum illa præstitisset, & Judæa & Rex periêre, ex nimio coitu, alii dicunt igne sacro correptis virilibus extinctum esse idque anno ætatis 40. regni 29. cum ingenti omnium bonorum lætitia.

Concilium Constantiense inchoatur: cui interfuêre Joannes Papa & Sigismundus Imperator, Patriarchæ quatuor, Cardinales 29. Antistites 270. Doctores 564. ad hoc Concilium citatus Hussius cum magna amicorum turba triumphantis instar modum accessit: dum autem disseminaret hæreses suas ibidem contra prohibitionem effrenatâ audaciâ, in carcerem intrudendus fugâ se proripere conatus est, sed in curru stramine pleno & bene tectus quo extra urbem portari volebat, deprehensus in carcerem compactus est, jam planè desperatus reus, qui inter judices suos insanire ausus erat.

1415.

✲(1415.)✲ In Concilio Constantiensi
oañes Huß, & Hieronymus Pragensis Hæ-
tici convincuntur : & ille quidem tan-
am pertinax flammis addicitur, & com-
ritur : Hic autem suam hæresim coram
oncilio ejurat ac damnat, sed mox fugit,
erùm à fuga retractus, per Bavariæ Du-
em & Constantiam reductus carceri in-
uditur. Huß porrò in rogo constitutus
terminatus est Cygnum pro ansere Lu-
erum scilicet pro Huß (quæ vox Bohe-
is anser est) nasciturum: hinc colitur à su-
ut prophetes & omnium martyrum pri-
us. Quæ fautores ejus objiciunt Catholi-
s de datis ei litteris securitatis, ac post-
odum datâ fide violatâ à concilio, nullius
nt momenti hæreticæ jactantiæ, utpotè
ui fugâ suâ irritas eas reddiderat, & ipse
ui eas dederat Imperator Sigismundus
pplicium id exegit, non Papa, vel Patres
ongregati.

Joannes XXIII. Papa & Benedictus
XIII. deponuntur à Concilio Constantiensi
regorius verò ipsemet sponte Papatui
enunciat consentiendo in sui depositio-
em, à Concilio Pisano factam, factumque
ecretum, ne ullus ex tribus dictis eligatur
Pontificem, hæc tamen non sine magna
fficultate peracta sunt. Benedictus enim
Joannes valde inviti ad hoc pertracti

ſunt ; & Joannes quidem diſſimulat
bitu operâ Friderici Auſtriæ Ducis
ſe proripuit à Concilio Schaffuſam in
pidum ejuſdem Friderici, & inde ad Jo
nem Burgundum avolavit, & hâc fugâ
omnes congregatos terruit ac puſillani
reddidit, quos tamen Sigiſmundus Im
rator fortiter & ſapienter animavit, ec
rem perduxit ut Pontificem Joannem
litteras tandem emolliret ad abdicand
& niſi ſvaviter ſimul & fortiter Sigiſm
dus ſe ſe oppoſuiſſet, tunc æquè Joa
quàm Friderico Auſtriæ Duci (quem ex
citu ſuo coëgit, & tanquam turbator
Concilii exauctoravit, ſolutis à jurame
fidelitatis omnibus ſubditis ejus) certo c
tius hoc étiam Concilium in vanum ab
ſet. Plurimùm quoque pro bono Ecc
ſiæ laborâſſe & Catholici Imper. pa
ſtrenuè egiſſe viſus eſt, quando prius m
ad Benedictum ſeu Petrum de Lunâ ple
minarum legatione, ipſe tandem poſt
ſionem decimam ſeptimam ad Petrum
Lunâ, & Regem Arragoniæ, cum Comit
& Patrum benedictione perrexit Perpi
num, nihil omittens ad concordiam faci
dam utile & neceſſarium : quamvis & i
doloſa vulpes Petrus de Lunâ è caſſibus
ſe iterum eripuerit, tum Sigiſmundum, tu

Arrago

ragoniæ Regem ludificatus: astutè enim e caperetur fugit Panis-Colam, munitis- num in rupe oppidum, quo se ad obitum ij; continuit homo contumax & perni- osus.

Eodem anno Franci ab Anglis prælio ti, in quo periêrunt Francorum 10000. m magno nobilium numero.

Machometes Calebinus Turcarum Rex adrianopolim sedem regni sui statuit, ut fortius & facilius pugnaret in Europa ontra Europam.

✻(1416.)✻ Ferdinandus Rex Arra- oniæ moritur, succedit eidem filius Al- honsus cognomento magnanimus.

Concilium Constantiense reassumitur, quo sessione XXI. Hieronymus Pragen- s rursus condemnatur, & vivus ibidem uritur habitus à suis martyr in terris- um flam̃is in inferno torquetur æternis.

Hernia Dux Bosniæ injuriis quorundam agnatum Hungariæ irritatus à corona ungariæ ad Turcam deficit, & acceptis à achomete copiis Hungaros vincit.

✻(1417.)✻ Perspectâ Petri de Lunâ ertinaciâ, actum de eo multis sessionibus tandem depositus est. Tunc ingressi Car- nales in conclave in festo S. Martini Pon- icem nominârunt Ottonem Columnam

Romanum, qui se ideo Martinum V. nominari voluit. Statutum est deinde Joañe custodiendo, qui etiam per bie in Germania servatus est, tum pro crimina quæ in Concilio sibi objecta satis diluit, tum etiam ut tanto mior esset pax Ecclesiæ & à schismat novando securior: Is tamen corru demum auro custodibus effugit ex ca futurus erro, majori Ecclesiæ metu, damno.

Bohemi suppliciis Hussi & Hieron Pragensis efferati calicem retinent, da tum in Concilio, Ecclesias diruunt, & 30. millia convenientes erectis in pa campo 300. mensis, sub utraque spe communicant, tunc autem nihil pro factum est, quam ut Wenceslaus Re iis cæderetur, tantùm deterriti sunt tione Conradi Facundi Sacerdotis persvasit ferendum esse Regem inerm & benignum. Wenceslaus tamen pa re attonitus, paralysi exinde correptus mortuus est die 16. Augusti. Et dum terim frater ejus Sigismundus Imper regnum hoc sibi debitum occupare co tur, iidem hæretici Ducem sibi constitu runt Joannem Ziskam, hoc est *Cæcum* q altero tantum oculo videret: qui gener

nobis

bilis, & in aula educatus, & bellicarum rum apprimè peritus, jam Huſſitarum ux factus, Imperatori, & Principibus~. cleſiis, imaginibus, & aliis omnibus ſa- is rebus, & perſonis bellum atrociſſimum tulit: qui etiam à loco quodam munito, em incivitatem amplificavit, & Thabor pellavit, aſſeclas ſuos Thaboritas no- navit: ut ſic faciliùs illis perſvaderet, ſam ab ipſis fuiſſe in monte Thabor tranſ- gurationem Salvatoris, & ibi hauſtas fu- e ſuas veritates fidei, & hæc civitas fa- eſt ſpelunca & refugium omnium hære- corum, & latronum.

✲(1418.)✲ Joannes Betancurtius no- lis Nortmannus ſub auſpiciis Caſtellæ, egis quinque fortunatas inſulas ſubigit, rumque ſe Regem dicit. Cui mortuo ceſſit propinquus Menantes, qui Cana- am occupavit.

Errones, quos Germani *Heiden* ſive *Zi- uner*, Galli Ægyptios vocant, hoc pri- im tempore cœperunt in Germania vi- eri, qui vel ſole excocti, vel aliâ arte fu- ati, immundi, & lacerâ plerumque veſte, tentique furtis & libidinibus, vulgus ho- inum falſa ſuâ Chiromantiâ paſſim deci- unt: mentiunturque ſe ex illis deſcen- eSingaræ urbis Meſopotamiæ incolis,

qui post extinctum Julianum Apostat
inde pulsi, vagi deinceps erraverunt.

Concilio Constantiensi finis imponi
quod tribus annis, & ferè sex mensibu
nuit, & approbatum est à Martino in
nibus, quæ spectârunt ad fidem, non
quoad ultimas illius sessiones. De
Concilio Sigismundus gloriam retuli
terris immortalem, Hercule felicior,
cisâ Pontificum Hydrâ, cui nova quoti
capita adnascebantur.

Posthæc Martinus Papa relictâ Consta
tiâ Mantuam se contulit, & inde Flore
am, necdum enim Romam adire potuit
nondum sedatos tumultus.

✲(1419.)✲ Emmanuel Imperator
rientis inconsultè Imperii jam aliundè
firmi ditiones inter quinque suos liberos
dividit, hac divisione in ultimam ruin
Imperium præcipitaturus.

Martinus V. Cardinales Joannis, &
sum Joannem XXIII, , qui, corruptis
custodibus, fugerat ex carcere, benevo
recipit, & hoc valde utile erat Eccles
Joannes enim vir magni animi à multis
novos tumultus expetebatur, sed Deo m
vente cor viri, ipse sine conditionibus
cautione obtulit se Martino, eumque
quam verum & legitimè electum venera
ei.

t: qui & statim creatus est Episcopus Tusculanus,& Cardinalium Decanus,apud Martinum magno in honore habitus, obiit post insignia Pontificatûs deposita, vixit annos 4. menses sex. Curavit magnifice ejus funus Cosmas Mediceus civis Florentinus, illi conjunctissimus, cujus etiam pecuniâ valde ditatus fuisse perhibetur.

S. Bernardinus Senensis eximius cultor nominis JESU, mirabiles fructus suis concionibus efficit in animis fidelium.

Wenceslao mortuo & sepulto clam ac sine pompâ metu Hussitarum, Sigismundus facilè potuisset opprimere Ziskam furentem, ac multa jam oppida redigentem in suam potestatem, sed maluit arma convertere in Turcas, pietate non satis prudente, sic enim Bohemiam perdidit,& Hungariam non defendit.

S. Vincentius Ferrerius clarus in vita,& post mortem miraculis, moritur.

✲(1420.)✲ Judæi Hussitis opitulantur missâ pecuniâ, quos ideo Fridericus Austriacus omnibus bonis exuit.

Sigismundus obsidet Pragam, sed à Ziska cogitur solvere obsidionem, vocaturq; ab hæreticis Draco rufus Apocalypseos.

Eodem tempore Pikardus quidam nomine,natione Belga infamem Adamitarum

hæresin & nuditatem in Bohemiam inve
Sæviêrunt etiam ibidem Orebitæ, urbe
reb constitutâ instar Thaboris. Mons
on, urbs exstructa à Joanne Roatio, u
in Catholicos fanatici homines erupe
Bohemiæ non minùs, quàm Ecclesiæ pe
nicioſi. Sigismundus interea grande
conficit exercitum, eoque tam infelici
pugnat, ut quinquies tentatâ Bohemi
quinquies victus, omnibus amissis, nonnis
quam etiam hoste non viso recesserit. Re
pugnabat enim Imperatori Ziska, de mon
culo, nunc plenè factus cœcus, qui cùm re
geretur à puero, scientissimè tamen reg
bat exercitum, & disponebat aciem ex re
latione sitûs hostilis exercitûs, & ostend
pluris esse sapere, quàm videre.

Martinus V. Papa Romam venit, quam mirè devastatam reperit, sed brevi tempore ita restaurat, ut non tantùm Pontifex, sed & conditor urbis Romulus esse videretur. Inter maximos autem honores male habitus est à Braccio Perusino, qui contumeliosè minitabatur, se Martinum effecturum egentem sacrificulum, & qui missam suam sex denariis licitaretur, dum ipse sibi totius Italiæ sponderet Imperium, sed post aliquot annos in prælio cæsus, nequidem Italiæ sex pedes habuit ad sepulchrum.

Dete-

Detecta est hoc anno Insula Matera, sive *Madere*, sic dicta ab arboribus, quibus tota obducebatur: Lusitani, cùm sylvas ejus incendissent, coacti sunt ore tenus latere in aquis, ut excitatos per incendia calores devitarent. Sic exustam deprehenderunt postmodum vino suo & saccaro dulcissimam, ut mirarentur cupediarum amatores tam diu eam latuisse.

DE ZISKA, ROSCESANA, SIVE ROCKYSANA JOANNE ROATIO, PIKARDO, HIERONYMO PRAGENSI, OREBITIS, ET ORPHANIS PRAGENSIBUS.

Hieronymus Pragensis, assecla Hussii ejusdem farinæ, & ejusdem pœnæ.

Ziska Dux Hussitarum, eorumque insaniæ cœcus & imperterritus propugnator, Thaboritarum conditor, & Ecclesiæ perturbator insolentissimus, & hostis juratus, qui cùm ab amicis rogaretur in mortis articulo, ubi vellet sepeliri, jussit carnem suam feris & avibus projici, ex cute autem detractâ tympanum bellicum confici, ad perterrefaciendos ejus pulsu Pontificios.

Joannes Roscesana seminator fuit zizaniorum tum Joannis Hussii, tum Wicleffi, quantò pejor, tantò famosior.

Joannes Roatius ejusdem farinæ socius, qui arcem exstruxit sylvis, quam Montem Sion

vocavit, illinc, asserens, emanaturam veritem, & interea confœderatorum operâ usus, quorundam Baronum inimicorum pacis, præegit, maximo cum detrimento vicinorum locorum.

PIkardus Flander fœdam Adamitarum hæsin in Bohemiam invexit, ut in Bohemia veluti cloacam omne cœnum sectariorum conflueret: Vocabat iste nebulo & discipuli impuram bestialem licentiam in concubitu indifferenti, & omni specie libidinis veram libertatem filiorum Dei, sine quâ omnes alii, amatores honestatis, essent servi & mancipia.

BEdricus auctor Orebitarum, malitiâ non fuit inferior Thaboritis, eorumque auctore, qui ex constitutâ urbe suâ Oreb præsidegit, Sacerdotes trucidavit, & omne scelus fanaticæ feritatis divinâ illustratione excusavit.

BOhemi deniq; Hussiticâ peste infecti in tres classes se diviserunt, qui mitiores cæteris erant & magis tolerabiles, Pragenses dicebantur. Secta altera erat Thaboritarum, de quibus suprà. Tertia pars erat secta Orphanorum, eorum scilicet, qui propter mortem magistri, ac progenitoris sui hoc nomen sumpserunt: una eademque fæx cum cæteris.

DE-

DECAS III.

Ab anno 1420. ad annum 1430.

1421. HUssitæ de Sigismundo Imperatore victores, pseudo-Synodum indicunt Pragam, mox tamen inter se dissident, quibusdam usum Calicis tantùm retinentibus (unde Calixtini dicti) aliis errores, simul Wicleffi & Hussi propugnantibus.

Machomete Rege Turcarum mortuo, succedit Amurathes II.

Delphinus Franciæ Carolus auxilio Scotorum Anglos vincit.

Flandria, Hollandia, Zelandia ab æstu maris pænè obruuntur, 72. magnis pagis aquâ demersis.

(1422.) Hussitæ contra Regem Sigismundum regnum Bohemiæ Uladislao seu Jagelloni Regi Poloniæ, ac deinde Vitondo Duci Lithuaniæ deferunt, quod tamen uterque illorum constanter & sanctè recusant.

Obiit hoc anno Henricus Rex Angliæ prope Parisios 29. Augusti: quem eodem anno secutus est Carolus VI. Rex Franciæ.

(1423.) Defuncto sine prole Alber-

to ex familia Anhaltina Duce Saxoniæ, Imperator Electoratum ad Fridericum Marchionem Misniæ,& Landgravium Thuringiæ transfert, quorum primus Elector fuit Fridericus Marchio Misniæ, & Landgravius Thuringiæ.

Amurathes Rex Turcarum Epiro sibi subactâ, accipit à Joanne Castrioto Principe tres filios obsides, quorum natu-minimum egregiæ indolis in re bellicâ exerceri curat, & *Scanderbegum*, hoc est, Alexandrum Dominum nuncupat.

✲(1424.)✲ Jacobus Scotiæ Rex nominis hujus primus post 18. annos captivitatis magnâ persolutâ pecuniâ, tandem in regnum ab Anglis dimittitur.

Benedictus Anti-Papa tandem moritur mense Majo, postquam insignia Pontificatûs 30. annis gestâsset, & 90. vixisset, & soli duo, qui eum sequebantur, Cardinales successorem ei dicunt Ægidium Munionem, sive Munotium Canonicum Barcinonensem, recusantem omninò accipere nomen dignitatis, nî Alphonsus Rex Arragoniæ in odium Martini Papæ, cui erat infensus ob res Neapolitanas, eum confirmâsset, indito illi nomine Clementis VIII Sed post annos quatuor reconciliato Alphonso cum Martino, coactus est hic bellus Papa abdi-

care

care se; nonnullâ tamen factâ compensatione, creatus est Episcopus Balearis, perstititque solus & verus Pontifex Martinus.

Ziska Dux Hussitarum magnis promissis, imo etiam spe regni à Sigismundo pellectus, dum iter ad eum instituit, correptus peste moritur, eoque mortuo secti sunt in duas factiones, Thaboritæ elegerunt sibi Procopium cognomento *Rasum*, Orebitæ sibi Presbyterum Bedricum Saterdotem conjugatum præposuerunt, inimici inter se omnes, nisi cùm agendum esset contra Germanos. Vulpes Sampsonis noxiæ, tantùm ad perdendum unanimes caudis accensis, capite omninò discordes atq; diversi.

✲(1425.)✲ Alphonsus Rex Arragoniæ post bellum aliquamdiu in Joannem, Neapolitanum protractum redit in Arragoniam, & Massiliam in transitu vastat; Andegavensis autem, totum interim regnum Neapolitanum vastat.

Moritur Constantinopoli Emmanuel seu Manuel Græcorum Imperator anno ætatis 77. eique succedit in regno Joannes VII. filiorum natu-maximus, cujus uxor Sophia fugit relicto marito, à quo se sperni putabat, ad Patrem Marchionem montisferrati, ita Joannes duxisse fertur Ma-

riam Comnenam Imperatoris Trapezuntini filiam.

✠(1426.)✠ Sultanus Ægypti Sagittara dictus Insulam Cypri vastat, & omnes urbes præter Famaugustam diruit, & ipsum Regem Joannem capit, postea redemptum à cive Genuensi 200. aureorum millibus, populus universus aut cæsus, aut abductus. Venerat ad hunc Regem auxilium ex Europa, sed tardiùs, jamque capto Rege, unde veriti Cruciferi ne Rex, quod Sultanus minabatur, interficeretur, re infectâ rediêrunt. Idem Sultanus Sepulchro Christianos prohibet, sed licentiam protinus reddit, audito quòd Ludovicus Palatinus Rheni & Bavariæ Dux in Palæstinam copias admoveret. Qui etiam inde rediit ex morbo in mari cœcus factus, & cum ingenti barba quam deinceps non deposuit, unde & nomen retulit *Ducis barbati & Ducis cæci* ac simul magnam laudem pietatis.

Alphonsus Arragonius insanire pergit contra Martinum V. in quem iste severissimam sententiam dicit, quam anno sequenti Alphonsus jam furore defervescente ex tabulis Apostolicis expungi jussit.

✠(1427.)✠ Hussitæ grassantur per Germaniam, & fædum in modum omnia sacra confundunt, & diripiunt ac vastant, co-

copiæ quoq;, quæ missæ sunt ab Anglia ad retundendos hæreticos, non mitiùs depopulantur Germaniam, & diruunt Ecclesias: cumq; exercitus Germanus tantus esset, ut sufficeret toti Bohemiæ subigendæ, ille flagitiosè fugit hoste non viso.

Joannes Brabantiæ Dux Lovanienſem Academiam erigit.

✲(1428.)✲ Anni hujus hyems memorabilis est in Italia, quia florifera fuit, quam secuta est lues, & in Pontificem rebellio Bononiensium: Quare urbs eorum interdicto suppositа, quod Dominicanus quidam indixit.

Laurentius Justinianus ex Monacho Patriarcha Venetus sanctitate & sapientiâ floret.

Sigismundus fuit infortunatus in bello, etiam hoc anno, ut enim excusaret se Pontifici de bello Bohemico, expeditionem suscepit in Turcas, sed eventu non felici & adeo laudando: nam transito aliquot lembis Danubio, partem copiarum barbaro concidendam objecit. Adscivit sibi post hoc Sigismundus prudentiorem Præfectum belli & peritiorem, Pipum, seu Philippum Florentinum, à quo brevi 40. Turcarum millia cæsa sunt, & docuit verum esse, quod dixit Vegetius, milites è Septentrio-

tentrione, & Duces ex Auſtralibus plag accerſendos eſſe.

✲(1429.)✲ Puella Aurelianenſis Joanna dicta ruſticana virgo Lotharinga ex pago Damregii ad Moſam Diœceſis Tullenſis annos duodeviginti nata, ſed diviniſ viſionibus illuſtrata, dum res Gallorum ad extrema redacta eſſet, Aureliâ jam ab Anglis obſeſſâ, equo & virili veſte à Roberto Brandicurtio Vallis-Colloris oppidi Præfecto inſtructa, per medios hoſtes ad Regem venit Cainonem, & elato enſe crucibus notato ex æde S. Catharinæ de fort *Sylva* in agro Turonenſi, vexillum præferens candidum nominibus JEſu & Mariæ inſcriptum diſſipat obſidionem Aurelianenſem, Anglos omnibus ſuis munitionibus exuit, & plenos ignominiæ atque plagarum remittit, atque inde dicta eſt Puella Aurelianenſis: ſed & alia multa præclarè & admiranda hæc puella geſſit, magnum Franciæ decus & ornamentum.

Huſſitæ graſſantur tripartito agmine, per Hungariam, Poloniam & Auſtriam cunctante vel nihil agente Sigiſmundo.

Obeunt hoc anno duo præclari ſui temporis ſcriptores Paulus Venetus & Joannes Gerſon celebris Academiæ Pariſienſis Cancellarius.

1430.

✲(1430.)✲ Philippus Brugis in honorem S. Andreæ instituit Ordinem velleris aurei à vellere Gedeonis, ut pii volunt, vel ab aurea pelle Argonautarum & Jasonis ut scribunt eruditi,& perseverat adhuc in Hispania virtutis,& simul nobilitatis insigne.

Cinxit paulò pòst idem Philippus Compendium urbem obsidione, cui ut succurreret advolat Puella Aurelianensis, & in urbem ingressa, ac postridie dum eruptionem facit vulnerata & equo dejecta, vel à feroci quadrupede, vel à Joanne Lucemburgio robusto equite capta est. Quæ ingenti pretio vendita Anglis ac Rothomagum perducta ibi viva combusta, quasi magiæ, hæresis, luxuriæ rea; cor tamen ejus nunquam uri consumiq́; potuit. Sententiam in eam tulit Cauchonius Episcopus Bellovacensis, patriæ, religionis, & æquitatis proditor, quam Calistus III. anno 1456. causâ ejus recognitâ, & diligenter excußâ innocentem declaravit. Cauchonius non diù pòst repentinâ morte sublatus, judices alii duo vivi exusti, duorum jam demortuorum ossa cremata : Imò etiam à puellæ supplicio Anglorum res in præceps ruêre.

DE-

DECAS IV.

Ab anno Christi 1430. ad 1440.

1431. THessalonica urbs Græciæ à Turcis occupatur Venetis suis navigiis fugientibus, incolis reliquis omnibus cæsis aut venditis.

Sigismundus tandem exercitum parat contra Hussitas Catholicis ubiq; terribiles.

Concilium Basileense indicitur à Martino V. qui tamen eo nondum inchoato diem obit, vir omni laude dignus, & tantùm ab heterodoxis convitiis traductus, suffectus est illi Gabriel Condelmerius Venetus dictus Eugenius IV. à quo Basileense Concilium Basileæ quidem inchoatum est, sed ab eodem mox Avenione indictum, quò etiam Sigismundus invitatus est. Qui priùs in Italiam veniens Mediolani coronâ ferreâ acceptâ Parmæ & Placentiæ hyemavit.

(1432.) Sigismundus Imperator, Angliæ & Franciæ Reges, & multò vehementiùs Julianus Cæsarinus legatus à latere, qui missus erat in Germaniam contra Hussitas, Eugenium Pontificem Concilium dissipare volentem, increpant, & urgent

ad

ad Concilium continuandum, quò etiam Hussitæ Bohemi invitantur, datis securitatis litteris, quæ dicuntur *Salvus Conductus.* Itaque habitæ sunt sessiones, in quibus, dum aliqua decernuntur, quibus Eugenii auctoritas infringebatur, cùm etiam sigillum Concilii insculptum esset, in quo Spiritus S. depictus erat cum hac epigraphe, *Sacrosancta Synodus Generalis Basileensis.* His & similibus Concilium potiùs perturbatũ, quàm promotum est, membris à capite divulsis & recedentibus. Sigismundus autem Imperator Romæ ab Eugenio coronâ aureâ coronatur, & pro Concilio prosequendo fortiùs agit, atque Pontificem pro Concilio meliorem reddit.

✲(1433.)✲ Recipiuntur à Concilio 300. Hussitæ cum ducibus aliquibus, & patienter audiuntur à Patribus, ac cùm vinci nollent, Pragam cum legatione eruditorũ virorum remittuntur. Confirmat Pontifex Concilium. ad quod ipse etiam remissis suis legatis à Patribus congregatis vocatur, quos tamen prudenter Sigismundus monuit, ut cum Eugenio moderatè agerent, neque pacem turbarent Ecclesiæ, dum Eugenium meliorem reddere volunt.

Legati à Concilio ad Bohemos missi, retulêre ab Hussitis 4. articulos, qui leviter immu-

immutati recepti sunt. Factâ eis potestate sub utrâque specie communicandi, eâ lege, ut aliter agentes non damnarent, aliosque deponerent errores: sic pax confecta, & editum publicum instrumentum, dictum *Compactata*. Thaboritæ tamen, & Orphani recusavêre fœdus, & Pilznam obsederunt, itaque ferro exterminandi erant, qui ratione nolebant,

Basileenses Patres, & Eugenius durius in se se invicem agunt, & Pontifex quidem irritat omnia, quæ contra se acta fuerunt sess. XII. Interim Basileam venit Sigismundus, qui & sessioni XIV. interfuit. Tunc autem Eugenius permotus legationibus Sigismundi, Caroli Franci, & Philippi Burgundi, aliunde veritus Principes Italos, & quod eum pungebat magis, Ecclesiæ schisma, tandem adhæsit Concilio, eâ conditione, ut Patres contra se decreta abolerent, & ipse ab iis facta probaret. Quò ex necessitate & metu damni sibi, totique Ecclesiæ gravioris Pontificem descendisse, nemo sapiens potest ambigere.

Circa hoc tempus Franciscus Carmaniola patre rusticello natus, cujus ipse subulcus fuit, Dux Venetorũ creatus, multas victorias peperit, sed ab eisdem Venetis proditionis suspectus, jussu Senatûs cæsus est,

& cùm

& cùm 200. Senatores pleriqúe ejus amici concilio, in quo de eo tollendo agebatur, interfuiſſent, & octo menſibus ſupplicium dilatum fuiſſet, cùm ille in caſtris verſaretur, nec minimum tamen Carmaniolæ, quid circa ſe ageretur, innotuit, ut dubium videatur, an plùs admiranda Venetorum taciturnitas, an rara in Ducem benè meritum ſeveritas.

✲(1434.)✲ Baſileæ Græcorum Legati cum litteris Joannis Palæologi Imperatoris & Joſephi Patriarchæ Conſtantinopolitani recipiuntur à Concilio ſeſſione XIX. & ſeſſione XXI Annatæ beneficiorum Eccleſiaſticorum abrogantur.

Sigiſmundus Imperator, poſt cæſos ad Pilznam cruento prælio Thaboritas & Orphanos, quorum plurimi, qui ad pugnam parati erant, in horreis vivi combuſti ſunt, ab omnibus Rex Bohemiæ acclamatur & ſalutatur.

Obiit hoc anno Uladislaus Jagello Rex Poloniæ, cùm annis undequinquaginta regnâſſet. Vir admodùm liberalis & valde pius, cui ſucceſſit Uladislaus II. filius ejus.

✲(1435.)✲ Albertus Archi-Dux Auſtriæ gener Sigiſmundi Imperatoris, interea dum Sigiſmundus conatur reformare Imperium, cum Hungaris adversùs Turcas fali-

feliciter pugnat. Collatâ semel acie, cùm jam disjectis signis Hungari fugerent, fecit illis animos gregarius miles, vir fortis, qui securi per Turcas viam sibi fecit ad signa repetenda, & sic nobilem suis victoriam paravit, cæsis barbarorum octodecim millibus: factus est postmodùm Eques à Sigismundo, donatusque multis prædiis, ut se verè nobilẽ virtute ac divitiis ostenderet.

Græci à Patribus Concilii & Pontifice sollicitati cum Latinis tandem convenire volunt, si modò assignaretur aliqua maritima civitas Italiæ, ad quam Imperator cum Patriarcha & Romano Pontifice convenire possent. Omniaque ad iter & viaticum parata sunt & expedita.

Obiît Joanna utriusque regni Siculi Regina, & in pœnam suæ luxuriæ ignobili tumulo condi petit. Scripsit illa moriens hæredem Renatum Andegavensem Ludovici III. fratrem, constitutis 16. Proceribus, qui regnum ad ejus usque adventum administrarent. In vinculis enim tum retinebatur apud Philippum Burgundiæ Ducem. Uxor tamen ejus Isabella cum duobus liberis eò perrexit, magnificè ubique & uti Regina excepta.

✲(1436.)✲ Alphonsus Arragoniæ Rex à Pontifice exclusus regno Neapolitano quod

quod sibi arrogabat, in odium Pontificis totum se dedit Patribus Basileensibus qui sessione XXIII. ad Pontificis auctoritatem coërcendam varia constituunt, concernentia administrationem tum spiritualem, tum temporalem electionem Cardinalium & nepotes Pontificum eorumque promotiones, & similia, quæ ab omnibus Christianis potiùs exoptanda, quàm tunc temporis ad exitum perducenda esse cuncti sapientes judicavêre; Legati quoque Pontificii graviter reclamârunt iis, quæ abrogationem, annatarum electiones, & confirmationes comprehendebant. Unde omnia vergere cœperunt ad discordiam Eugenium inter & Patres Basileenses, & horum quidem favore plurimùm nixus Alphonsus Arragonius in Italia multas urbes occupat, & vix non Romam in suam potestatem redegisset, nisi à Vitelesco Archi-Episcopo Florentino & Patriarcha Alexandrino viro forti & bellicoso retusus fuisset.

Iglaviæ in Moravia ubi Sigismundus Imperator & Albertus Dux Austriæ cum Alcinoë regni gubernatore aliisque proceribus convenerant, præcipuus Doctor Pragensium Rockysana dictus cum aliis quatuor Presbyteris nomine totius Cleri obe-

obedientiam ſedi Apoſtolicæ profitentur & Bohemis anathemate ſolutis, & pax tandem inita, diu exoptata.

Jacobus I. Rex Scotiæ à perduellibus in cubiculo ſuo 24. vulneribus confoditur auctore conjurationis Walthero Comite Atholiæ, in qua cæde maximopere enituit fortitudo Catharinæ Dugluſiæ, quæ reginæ miniſtrabat, hæc enim tum brachium in foramen peſſuli quod conjurati ſubduxerant inſeruit, id ſibi frangi paſſa eſt, ut ingreſſu regicidas prohiberet, regina quoque ſui corporis interpoſitione vindicans Regem duabus plagis affecta eſt: Conjurationis hujus auctor toto triduo crudeliter tortus, & coronâ ferreâ candente impoſitâ capiti Rex proditorum inauguratus eſt, cæterique graviſſimis omnes ſuppliciis interfecti. Succeſſit Patri Jacobus II. puer ſeptennis, multis in regno ſuo graſſationibus & ſeditionibus in pueritia ſua exagitatus.

✲(1437.)✲ Magnum diſſidium inter Baſileenſes & Eugenium oritur, ubi factioſi quidam auſi fuerunt Pontificem declarare contumacem, multique ex Patribus Baſileam deſeruêre, quod cum Eugenius didiciſſet, miſit litteras publicas de translatione Concilii, vel Utinum, vel Florentiam: ſe-

ditioſi

ditioſi autem Baſileenſes faventes Pontifici malè mulctant, & ita ſe gerunt ut ab eis omnia formidanda viderentur: monentem inſuper Sigiſmundum ſpreverunt. Itaque Eugenius jam nihil veritus factioſos locum Oecumenico Concilio Ferrariam deſignat. Græcis acceptiſſimum & omnibus bonis approbatum. Baſileenſes autem mox eam Concilii translationem irritam declarant, ab Arragonum Rege maximè in ſua audacia corroborati, qui pluris tum regnum Siciliæ quam, Eccleſiam faciebat, hujus ſpiritu animati factioſi Patres nihil ampliùs egerunt, niſi in detrimentum Eccleſiæ.

Sigiſmundus Imperator Znoymæ in Moravia moritur ex paralyſi anno ætatis 70. anno regni Hungarici 51. Romanorum 17. Bohemici 17. Imperii 5. Vir pace melior & clarior, quàm bello, in Eccleſiam optimè affectus, ſed parum pudicus, unde adulter uxori ſuæ adulteræ ſæpe pepercit, quam nihilominùs paulò antè mortem carceri incluſit quia de novis nuptiis agebat cum Rege Polonorum filiæ ſuæ Eliſabethæ noxiis. Mortuo marito Imperatrix in omnem ſe ſe effudit libidinem & vitam inter formoſos Concubinos egit ſine pudore, diſceſſit autem Sigiſmundus ſine re-

lictâ ſtirpe maſculâ ideo Albertum Auſtrium generum ſuum maritum Eliſabeth deſignavit utriuſque Regni ſui Hungariæ ac Bohemiæ ſucceſſorem. Principem donis naturæ & multis virtutibus inſtructiſſimum.

CONCILIUM FERRARIENSE & CONCILIABULUM BASILEENSE.

1438. POſtquam Baſileenſes factioſi Concilii ſui ſeſſione 31. Eugenium ſuſpenderunt ab officio & adminiſtratione Pontificatûs, quam ad Concilium devolutam declarârunt, Collegiũ inſuper inſtituerunt virorum duodecim, trium ſcilicet ex ſingulis quatuor nationibus, qui Eccleſiæ Romanæ patrimonium adminiſtrarent: ab his miſſi ſunt Legati à latere, qui ditiones & urbes regerent. Sed eorum pleriſque manus defugêre, & tanta perturbatio indicta eſt, ut eâ permotus Julianus, aliiſque Cardinales diſcederent, uno remanente Baſileæ Cardinali Arelatenſi Ludovico Alemanno, viro magnæ eruditionis & pietatis. Et hic factus eſt Synagogæ hujus caput. Statim etiam citati, qui Eugenii nomine ad Græcos legationes obiîſſent, hi autem illegitimos judices ſapienter irrisêre. Interea 6. idus Januarii inchoatum eſt Concilium Ferrarienſe, jubente Eugenio, cui præ-

præfuit ejus nomine Nicolaus Albergatus Cardinalis S. Crucis, ex Ordine Carthusianorum cum Archi-Episcopis quinque, Episcopis duodeviginti, Abbatibus decem, aliquot Ordinum Generalibus, ac primâ sessione post duos dies confirmata Concilii translatio; secundâ verò præsente ipsomet Eugenio cum 72. Episcopis, damnata Concilii Basileensis decreta, & pœna in eos constituta, qui Basileæ (cui hæresis Hussitarum virus suum infuderat, & magnâ ex parte infecerat) remanerent, & in hoc pessilenti consessu sederent. Inter hæc Venetias appulit 6. idus Februarii Joannes Imperator Græcus cum fratre suo Demetrio, & Josepho Patriarchâ Constantinopolitano, multisque Antistitibus ferè ad septingentos, qui omnes magnificè excepti sunt Bucentauro, moxque Pontificis legatione honorati. Nec ita multò post Imperator Ferrariam venit, splendidè quoque à Pontifice receptus, & ad pedes ejus advolvi prohibitus, tantùm manu ejus osculatâ: Imperatorem mox secutus est Patriarcha nave deauratâ, aliique Antistites omnes, magnâ amoris significatione suscepti. Hi statim rogavêre Pontificem, ut reliqui Principes Christiani vocarentur ad Concilium, & sic eos ad auxilium invitarent, non

minùs ſuo Imperio, quàm Eccleſiæ pr videntes.

Dum autem factioſi Baſileenſes dam narent, quæcunque Ferrariæ fierent, facta eſſent, ibidem ſanior pars Eccleſiæ im perterritè, & imperturbatè Concilii nego tia peragebant. Sic autem diſponeba tur Græcorum & Latinorum ſedes in Co cilio, ut in medio ſtatuerentur capita SS Petri & Pauli cum Evangelio, ſederent a dextram Pontifex cum Præſulibus Latin ad lævam Imp. Joañes cum Patriarcha, ſuiſ que Græcis; dumque tempus abiret Baſi lenſibus præfinitum, ne per illorum abſe tiam tempus inutiliter tereretur, diſce tatum eſt inter Græcos & Latinos de pro ceſſione Spiritûs Sancti, de purgatorio de primatu Romanæ Eccleſiæ, delectis ex utrâque parte diſceptatoribus, qui cauſ jam exagitatas, probè diſcuſſas, ac pa confectas deferrent ad Synodum, in qu ſublatâ omni lite deciderentur. Seſſioni bus jam XV. ſecundùm alios, qui primas duas, quibus Græci nondum interfuerun adnumerant XVII. diſputatum fuit non Rhetorico, ſed Philoſophico modo: Græ cis, ùt ipſi elegerant, oppugnantibus, & Latinis defendentibus: Acerrimè quæſti tum & agitatum, an ea vox in Symbolum

inſerenda, *Filioq;*? ajentibus Latinis, negantibus Græcis. Ex his diſputârunt Marcus Epheſius, Andreas Rhodius, vulgò Coloſſius dictus, atque Beſſaron. Ex Latinis Julianus Cardinalis,& Joannes Dominicanus Longobardiæ Provincialis, ſed parvo fructu, cùm Græcis conſtitutum eſſet, hanc vocem *Filioque* non admittere, quanquam â Latinis convincerentur. Itaque illi de reditu ſuo cogitare cæperunt: ſed hunc inhibuêre Imperator & Patriarcha, & quoniam Ferrariæ graſſabatur peſtis, Synodum transferri Florentiam probaverunt, plùs tamen pro Imperio ſuo, quàm pro Eccleſia ſolliciti.

Dum hæc Ferrariæ agitantur, Albertus Auſtriacus coronatus in Regem Hungariæ Albæ-Regalis Kalendis Januarii, in Regem quoque Romanorum inauguratur Francofordiæ 13. Kalendas Aprilis, & demùm 3. Kalendas Julii Bohemiæ coronâ pragæ inſignitur.

Contigit tunc temporis inter Germanos ſuſpenſio Judicii, quæ *Neutralitas Germanica* dicta eſt, ad annos octo producta, ab Eugenio & Baſileenſibus damnata, cùm tamen utrique parti Albertus favere videretur, juſſis Baſileæ hærere Legatis, quos Sigiſmundus miſerat. Quare iidem Ba-

ſileenſes Patres pecunias in Auſtriâ collectas ex indulgentiis pro viatico Græcorum illis aſſignavêre.

Renatus hæres utriuſque Siciliæ à Joannâ in teſtamento conſtitutus, & hactenus Philippo Burgundo captivus retentus, nunc magnâ pecuniæ ſummâ in libertatem aſſertus, regnum ſuum Siciliam adit, ſed ab Alphonſo Arragonio in capite regni Neapoli obſidetur, irrito tamen conatu; re namque infectâ, ob pluvium cœlum, Arragonius cedere coactus eſt: in qua obſidione memorabile illud contigit: Cùm Petrus frater Alphonſi tormentum bellicum explodi juſſiſſet in Baſilicam Carmelitanorum, & pila emiſſa eliſura eſſet caput imaginis Chriſti de Cruce pendentis, demiſſo caput imago, ut globus irrito ictu ſupervolaret: die autem ſequenti ex eodem loco emiſſa tormenti pila eundem Petrum interemit. Hæc imago etiamnum ſervatur Neapoli ad perpetuam miraculi memoriam.

✲(1439.)✲ Pontifex venit Florentiam cum Patribus diverſis itineribus eò proficiſcentibus, & inſidias tum Philippi Burgundi, tum Alphonſi Arragonii, hoſtium Pontificis, ſapienter declinantis. Prohibuit autem Carolus VII. Rex Franciæ, ne quis Francorum Præſulum eò ſe transferret, quam-

quamvis non omnes paruerint. Per hoc autem non est receptum in Franciâ & à Rege Concilium Basileense, ùt quidam ineptè garriunt, utì neque per Pragmaticam sanctionem in civitate Bituricensi editam, & in regno promulgatam, quia per illam nihil Basileensi Concilio addere voluit Carolus auctoritatis, & nihil Ferrariensi vel Florentino aufferre, sed tantùm incertus, quid in hac divisione partium faciendum esset, collectis multis Antistitibus regni sui, & Proceribus in civitatem Bituricensem, hoc interim medio consulere & regno, & Ecclesiæ voluit.

CONCILIUM FLORENTINUM, QUOD FUIT FERRARIENSIS BASILEENSIS CONTINUATIO.

PRima sessio Concilii Florentini (non computatis Ferrariensibus XVII. vel XIX.) habita est 4. Kal. Martii, in eâ & sequentibus actum de vocibus *Filioque* vel *per Filium*, ac tandem uno reclamante Marco Ephesio, decretum, ut Latini dicerent *Filioque*, Græci autem *per Filium*: ita tamen, ut omnes idem significarent, necquicquam filio & Spiritui Sancto detraherent: imò pleriique Græcorum huic voci *Filioque* subscripserunt, Restabant capita de purgatorio, de primatu Ecclesiæ Romanæ, de

fermentato & azymo, & de Missæ sacri-
cio, dum ad ea excutienda se Patres para-
obiit Josephus Patriarcha è cœnâ redien-
in ædem, relictâ tamen schedulâ suo no-
mine descripta, cum nomine Oecumenici,
quâ purgatorium & primatum Romanæ Se-
dis admittebat: sepultus Græco funere,
sed magnifico. His exequiis celebratis
agitatæ sunt quæstiones: purgatorio ac-
quievêre Græci, eâ lege, ut non decidere-
tur, utrùm in eo esset ignis, aut caligo,
aut turbo, aut aliquid aliud: azymo item,
ut hoc Latini, ipsi fermentato facerent: de
primatu major difficultas extitit, & quæ
pænè concordiam discussit: sed ea tandem
coaluit, & hic quoque primatus receptus,
Græcâ insertâ voce (quæ tamen non facile
Latinæ respondebat) Denique definitio
Concilii pronunciata est ab Eugenio, Bul-
lâ, quæ incipit *Eugenius*, hoc anno datâ
Nonis Junii, cui Patres omnes tum Græci,
tum Latini subscripsêre, præter Marcum
Ephesium, aliumque Græcum quendam
Marci discipulum. Actum postea de aliis
controversiis, de Sacrificio Missæ, Chris-
mate confecto à Sacerdotibus, de Confir-
matione, quam Græci negabant esse Sa-
cramentum, sed nihil æquè utramque par-
tem torsit, quàm Patriarchæ in hoc Conci-
lio

lio facienda electio. Et id maximè optabat Eugenius, & Electo amplum viaticum pollicebatur, cum Patriarchatûs Latini apud Græcos abolitione, ut ipse utriusq; privilegiis uteretur: Sed pertinaciter restitit Joannes Imperator, nec ullâ arte vel promissis ab hac mente revocari potuit, quasi in eo Imperii, & Ecclesiæ Græcæ cardo verteretur.

Dum Imperator jam esset in procinctu sui reditûs, advenêre Armeni Apocrysarii seu Legati Catholici Armenorum, cupientes à Concilio dirigi & doceri. Joannes autem Imperator Græcorum paulò pòst abiit, ab Eugenio multis beneficiis acceptis ac cum luculento auxilio, nec non majoribus promissis: Sicque Venetias primò hoc anno, sequenti autem Constantinopolim appulit, auctior muneribus & divitiis, quàm fide & religione. Edita tunc est ab Eugenio fidei confessio pro Armenis, hoc est, Symbolum Constantinopolitanum cum hac voce *Filioque*, & alia quoque hactenus iis ignota tanquam hæretica judicata, recepta sunt.

Post discessum hæreticorum tribus adhuc annis Concilium continuatum est inter multas turbas & vicissitudines; contumaciter enim Basileenses perstabant in suo

schismate, & eò temeritatis deventum est, ut sessione 31. missis ab Amadæo Sabaudiæ omnibus ditionis suæ Episcopis & Abbatibus Eugenius ab hoc Conciliabulo deponeretur. Missi deinde Legati ad varios conventus Moguntinum, Francofordiensem, Bituricensem, ut eos ad partes suas traherent. Interea dum Legati pro suâ factione conscriberent, sessione 36. Basileenses decretum de Conceptione Immaculatæ B. Mariæ Virginis ediderunt, & festivitas ejus renovata est 6. Idus Decembris, quo facto, quæ in urbe grassabatur lues, opem B. Mariæ Virginis extincta est, & hoc quidem beneficii ac gratiæ Beatissima Virgo rebellibus & seditiosis indulsit. Sessione 37. & 38. creatus est Pontifex Amedæus Sabaudus Eremita Ripalliensis, dictus Felix V. qui primâ constitutione suâ Concilium suo nomini antepositi. Et hunc Felicem, dicit S. Antoninus, non sedisse in Cathedra Petri, sed Luciferi, & Basileam peperisse basiliscum. Innocens tamen extitit, sicut & plerique alii fautores ejus, inter quos etiam fuit Æneas Sylvius, postea Pius II. quos deceptos esse non mirabitur, qui eos homines fuisse fatetur.

Hac auditâ Pseudo-Pontificis electione, Eugenius in Concilio Florentino 17. Cardi-

dinales creavit, magni nominis viros, tunc Ecclesiæ necessarios.

Albertus Imperator cùm debellâsset Mauros, attrivisset Hussitas, factiosos Bohemos domuisset, Sarmatas repulisset intra fines suos, Turcas deniqúe infestantes Hungariam solo adventu exterruisset, & recedere compulisset; inde Austriam repetens contractâ dysenteriâ ex melonum esu in vico Nesmet, alii habent Meger, immaturâ morte extinguitur anno ætatis 40. cùm non toto biennio imperâsset. Ab hoc tempore Majestas Imperii ingressa est Domum Austriacam, cui Virtus obduxit pessulum, ut exire non possit, numeratis jam ordine undecim Cæsaribus ex solâ Austriâ, serie non interruptâ, quasi nascerentur & non amplius eligerentur Imperatores.

✲(1440.)✲ Ditiones Alberti Imperatoris, utpote sine hærede superstite defuncti variè subdividuntur, nam in Imperatorem Romanorum electus est Francofordiæ ab Electoribus Fridericus IV. Austriacus, filius Ernesti Archi-Ducis & Patruelis Alberti. In Regem Hungariæ evocatus est Uladislaus Poloniæ Rex. Interim verò Elisabetha Regina vidua peperit præter spem & exspectationem suam filium La-

dislaum posthumum, ac cum eodem & coronâ fugit ad Fridericum Imperatorem in Austriam, tanquam ad tutorem & consanguineum recèns nati Ladislai; unde magnæ turbæ in Hungaria fuêre exortæ. Bohemi demùm eligunt in Regem Albertum Bavariæ Ducem, ac dein illud Friderico Imperatori offerunt, sed hi acceptare illud magnanimiter recusant, dicentes: regnum illud deberi Ladislao posthumo.

Principes Christiani inter Eugenium & Felicem Antipapam dividuntur, aliis huic, aliis illi adhærentibus, prout eorum res, & non religio exigebat.

In Franciâ habito Biturgibus conventu, cui utriusque partis Legati interfuêre, Rex omnibus auditis adhæsit Eugenio. Felici jam Basileæ coronato Pontifici, Episcopis interim Cardinalium vices supplentibus, plurimùm obfuit sua parcitas, qui, si collectos thesauros tunc effundere voluisset, multos sibi conciliâsset, sed passus est Deus virum alioquin liberalem, in hoc casu sordidum esse, ut sic Ecclesiæ rebus consuleretur.

Bellum Francos inter & Gallos recruduit, desicit.

Constantinopoli Gregorius Melissenus creatur Patriarcha. Ibidem

Ibidem Marcus Ephesius, & Scholarius discipulus ejus ex Concilio Florentino reduces omnia turbant in Græcia, edito libro contra Florentinam Synodum, quem egregiè refutavit Josephus Methonensis, qui memorat hunc Marcum Comitiali morbo laborâsse, & nonnunquam insania prorsus ridiculum se tum in Synodo, tum extra Synodum exhibuisse, ac sæpe etiam cum pedum strepitu explosum ab Antistitibus & exsibilatum esse.

DECAS V.

Ab anno 1440. ad annum 1450.

1441. JAcobitæ Orientales hoc anno ad Concilium Florentinum admissi Ecclesiæ reconciliantur.

Instituitur Basileæ à Pseudo-Synodo festus dies visitationis B. Mariæ Virginis pro concordia, quam ipsi illi institutores maximè tunc destruxerant, Pontifice suo tanquam stipite adornato ad pravos animi motus abusi. Ut autem devincirent sibi hunc Pontificem suum, hoc anno dederunt illi unam Ecclesiam in Sabaudia, unum monasterium, & unum beneficium, dum ipsi & pluribus & melioribus inhiarent.

Celebratur conventus in variis locis causa schismatis.

✲(1442.)✲ Legati Æthiopiæ, sive Regis Zara Jacob, hoc est, *Semen Jacob*, quem vulgò Presbyterum Joañem, vel Preste Joannem appellant veniunt ad Concilium Florentinum, & hujus continuatio transfertur Romam ad Basilicam Lateranensem, ad quod etiam Basileenses Patres invitantur, sed venire recusant.

Fridericus Imperator Aquisgrani Rex Romanorum coronatus, convenit Basileæ cum Felice, & agit pro concilianda concordia; neque tamen illum ut Pontificem legitimum honorat: præmissâ excusatione ut sic ad concordiam instituendam aptior ipse Felix redderetur. Petitur per Sfortiam nomine conventûs Francofordiensis, cui Imperator intererat ab Eugenio, Concilium novum in Germania, diversum à Florentino & Basileensi, recusat Eugenius, eò quòd jam celebretur legitimum, itaque novo opus non esse, promittit tamen se cum Patribus hac de re consultaturum, indè Sfortia animos erigit Basileensibus.

Alphonsus Arragonius Neapolim occupat per cuniculum aquæductûs, quē transfuga ex urbe cæmentarius patefecerat: militæ

milite immisso, Renatus Andegavensis conscensâ nave Genuensi quæ stabat in anchoris, fugit Pisas primò, atque inde Florentiam & in Galliam. Alphonsus autem de Pontificiis, Francis & Neapolitanis magnificè triumphat.

Amurathes post septimestrem Belgradi seu Albæ-Græcæ obsidionem à Joanne Hunniade Waiwoda Transylvaniæ, quem Turci Janeum, alii Corvinum vocabant triplici magnâ clade suorum repellitur.

✲(1443.)✲ Alphonsus occupatâ jam Neapoli non tam pro Ecclesia, quam regno suo in Monarchiam erigendo sollicitus Eugenium verum Pontificem agnoscit, obtentis priùs à Pontifice quæ concedenda non erant. Mandavit posthæc Alphonsus omnibus suis, qui intererant conciliabulo Basileensi, ut inde recederent, & posthac Eugenio adhærerent: quo nuncio perculsi Basileenses Synodum dissolverunt Felice vel Genevam vel Lausanam se recipiente, factâ sibi priùs potestate Cardinales creandi, quos tamen non nisi duos publicos creavit. Et sic Basileense Concilium in Principio Ecclesiæ utile, in fine pernicioſum - - - - *Turpem*

Desît in piscem mulier formosa supernè.

Eugenius Papa Romæ, unde per decennium

nium aberat, magnificè susciptur & Concilium Lateranense indicit.

Hunniades sive Corvinus jussu Uladislai Regis Turcos ad Moravum fluvium castra locantes, cum decem equitum millibus, eorum 30. millia cædit, quatuor millia capit & cæteros ad centum millia in turpem fugam conjicit: actum fuisset cum Turcis in Græcia, nisi cursum victoriarum Hunniadis Christianorum impatientia tunc sufflaminâsset. Pugnæ ad Moravum fluvium interfuit Georgius Castriottus, qui & ipse vel sponte cessit, vel cedere coactus Hunniadi: is hac occasione usus, Secretarium Bassæ scribere compulit litteras ad præfectos Crojenses & Epirotas, ut ei urbes rederentur: quare mox Crojæ receptus est, unde ex Epiro Turcos submovit. Et hujus viri jacturam pluris fecit Amurathes quàm omnes clades perpessas.

✲(1444.)✲ Sultanus Ægypti Rhodum obsidet, sed ab Equitibus Rhodiis fortiter & cum ignominia rejicitur.

Christiani bellum parare in Turcas, ut ii Europâ ejicerentur, ad quorum invitationem etiam Uladislaus Hungariæ Rex paulò antè initam pacem cum Amurathe rumpit, atque ad Varnam Mysiæ oppidum cum eo congreditur, & crudelissimo prælio

lio ab eo victus fortissimè pugnans cæditur, cujus resectum caput Palo impositum Turcorum erexit animos, & Christianorum abjecit, ut & Hunniades ipse fugisset, nisi à Dracula Waiwoda retentus fuisset. Cæsus quoque est Julianus Cardinalis Legatus, à quodam naviculario, ut ejus auro frueretur. Christiani tunc magnâ clade affecti & Amurathes ultorem se violati fœderis à Deo electum esse dixit, simulque professus est, tantam se quoque ex hac Cadmæa pugna cladem perpessum esse, ut similem victoriam suis hostibus exoptaret.

Idem Amurathes paulò pòst grande periculum adiît: cum enim ex captivis Polonis juvenes formosissimos nobiles duodecim elegisset ad nefariam libidinem, ac circumcisionem, hi de interficiendo Principe turpi cogitârunt, eumque jugulâssent, nisi perfidioso captivo meditatum facinus vindicâssent, ab eo igitur proditi, & capiendi, clausis cubiculi foribus mutuis se se vulneribus confecêre, & mori fortiter at pudicè, quàm impiè & luxuriosè vivere maluêre.

Celebratur Romæ ad Basilicam Lateranensem prima sessio, sed quoad continuationem Synodi Florentinæ XXXI.

Obiît hoc anno S. Bernardinus Senensis Fran-

Franciscanus Aquilæ Vestinis ubi ejus corpus etiamnum integrum reperitur.

✲(1445.)✲ Ladislaus Posthumus renunciatur Rex Hungariæ & Bohemiæ, cujus loco, donec adolesceret, Gubernatores constituti sunt, in Hungaria Joannes Hunniades, & in Bohemia Georgius Podebrachius. Ladislaum autem nullo modo Hungaris extradere voluit Fridericus apud quem in tutela fuit.

In Polonia electus est Casimirus Uladislai frater.

Joanni Palæologo defuncto Imperatori successit Constantinus XV. & ultimus Imperator Constantinopolitanus.

Orientales Ecclesiæ præsertim Chaldæorum & Maronitarum reconciliantur Romanæ tanquam universali.

Missus hoc anno à Friderico Imperatore ad Eugenium Æneas Sylvius, ab eo non tantùm veniam, sed & amicitiam obtinuit, factus ei à secretis. Pontifici æquè atque Cæsari fidelis & charus.

✲(1446.)✲ Industriâ Æneæ Sylvii, & favore Friderici Germania reconciliata famosam illam neutralitatem deponit & Eugenium verum Pontificem ac Patrem, atque iste Germanos iterum veros Ecclesiæ filios mutuis benevolentiæ amplexibus

agno-

agnoſcunt. Unde Baſileenſium reliquiæ adhuc vivaces ad incendium excitandum planè extinguuntur.

Oceanus ad Dordracum effuſus 17. Aprilis ruptis aggeribus, pluſquàm centum millia hominum, & pecudum innumerabilem numerum ſubmerſit.

Henricus VI. impulſu Margarithæ uxoris fæminæ ingenioſæ & fortis regni adminiſtrationem ſuſcipit, & Hunfredus qui viginti quinque annis regnum adminiſtravit, multipliciter accuſatus ne tumultus excitaretur in populo occultè ſtrangulatur.

Incipit bellum inter Amurathem & Scanderbegum.

✲(1447.)✲ Eugenius Papa excedit è vivis vir ſine exceptione maximus : huic datus eſt ſucceſſor Thomas Sarzanenſis tenui genere natus, Patre medico, & matre gallinarum & ovorum propolâ. Vir doctiſſimus, & omnibus animi ac corporis dotibus illuſtriſſimus dictus Nicolaus V. qui eo mox curas convertit, ut Felicem V. Genevæ tunc morantem ad pacem ineundam induceret, & univerſalem unionem in Eccleſiam reduceret: qui ut Valiconam Bibliothecam undequaque libris exquiſitis locupletavit.

Philippo Duce Mediolanenſi defuncto

fine

sine prole de successione ejus disceptan competitores potentissimi Fridericus Cæsar Alphonsus Arragoniæ Rex & Carolus Dux Aurelianensis natus ex Valentina Philippi sorore, & filia Joannis Galeatii primi Ducis Mediolanensis: Mediolanenses autem, cum se in libertatem vindicare voluissent, pressi à Venetis & Sfortia huic se dedere compulsi sunt, quod fuit semen multorum bellorum.

✠(1448.)✠ Hunniades triduo in campo Rigomezo cum Amurathe pugnat, primó & secundò victor, tertiò victus recedit, relictâ victoriâ, sed prorsùs cruentâ Amurathi. Cæsa sunt in hoc prælio Christianorum octo, Turcarum 34. millia? & Hunniades fugam capessere coactus, & triduo impastus, ac per avia decurrens, quarto die incidit in latrones duos, qui dum de ejus cruce aureâ disputant: unius arripuit gladium, quo percussit unum, alterum fugavit, & deductus est per rusticolam Sendororoviam, cùm in aliud castrum ire cogitaret, ubi Georgii Despotæ jussu non dimissus, nisi dato obside juniore filio Ladislao, quem tamen Hunniades armis mox recepit. Amurathes in loco certaminis suum celebravit Pascha, ubi & octo milllia Walachorum, qui deserto Hunniade se illi dederant,

derant, circumfusos trucidavit, sic magnificè ultus proditionem, & Christianorum impietatem.

✲(1449.)✲ Felix V. adnitentibus præcipuè Friderico Imperatore, Carolo VII. Francorum Rege, aliisque Principibus magno Ecclesiæ bono Pontificatum abdicat, magnis tamen sibi reservatis honoribus, videlicet, ut esset Legatus perpetuus in Sabaudiâ, ei venienti Pontifex assurgeret, ille tantùm osculum oris redderet, reservaret ornamenta Papalia, præter delationem Corporis Christi, annulum Piscatoris, crucem in pedibus, & umbellam, nec unquam cogi possit venire Romam: factum est hoc Lauzanæ, & cantatus ubique versus: *Fulsit lux mundo & cessit Felix Nicolao.* Recepti quoque à Nicolao Cardinales Felicis, & veris atque legitimis adnumerati: Amedæus autem secessum suum Ripalliam repetiit, glorioſior & sanctior Pontificatu depoſito quàm recepto.

Sfortia potitur Mediolano, & Dux Mediolanensis ibidem creatur & agnoscitur, reclamantibus Friderico Imperatore, & Carolo Franco.

Bellum Gallos inter & Anglos resuscitatur.

Albertus Brandenburgensis Marchio con-

concitat bellum in Norinbergenſes quib Bavari favebant. Octies conflixit & ſe per vicit cæſis exercitibus, uno tantum prælio victus, nunquam detrectato ſingu lari certamine, nunquam vulneratus, di ctus ideo Achilles Teutonicus invulnera bilis.

✲(1450.)✲ Annus hic Jubilæus Ro mæ ingenti concurſu fidelium celebratur.

S. Bernardinus adnitente Joanne Capiſtrano diſcipulo ejus in numerum ſancto rum refertur, cui ſolennitati interfuêre fratres ex ordine Franciſcanorum 3800.

Franci inſigni victoria de Anglis reportatâ gratias ſolennes Deo agunt Pariſiis inſtitutâ ab Epiſcopo ſupplicatione cui duodecim puerorum millia interfuêre.

Franciſcus Dux Armoricæ in memoriam avi ſui Joannis cognomento *Conqueſtoris* Equeſtrem Ordinem inſtituit *Muris Pontici* dictum vel Ordinem *Spicæ* ob torquem ex ſpicis intextis, ex quo mus ponticus pendebat cum Epigraphe *Amavis* quoniam hoc animal mavult mori, quam fædari.

Amurathes Croiam metropolim Epiri obſidet, propugnante eandem fortiſſimè Scanderbego.

* *
*

HÆ

HÆRESIS RUTHENORUM, SEU RUSSORUM VEL MOSCHOVITARUM.

POpuli isti Christianam quidem religionem ore profitentur, ab Ecclesia tamen Romana dissident in variis falsisque imaginationibus cum Græcorum schismate conjunctis.

1. Negant S. Petrum fuisse summum Ecclesiæ pastorem, & S. Romanæ sedis Episcopum, quod etiam de successoribus dicunt.

2. Negant Ecclesiam Romanam esse cæterarum caput.

3. Rejiciunt scripta Latinorum Doctorum.

4. Non recipiunt Concilia Oecumenica.

5. Contemnunt excommunicationes, rident purgatorium, confirmationis, & extremæ unctionis Sacramenta.

6. Docent Eucharistiam non in pane azymo, sed tantùm in fermentato confici & valide conservari posse.

DE JOANNE BAHEIM TYMPANISTA ET PASTORE PECORUM.

JOannes Baheim non contentus tympanistæ & pastoris officio suæ farinæ socios collegit & palam astro insano prædicare cœpit decimas Clericis subtrahendas esse, nullam esse obligationem Dominis vectigalia & tributa solvendi, quin & aquas & nemora esse communia.

DE

DE MATTHÆO PALMERIO FLORENTINO

Hic est Palmerius qui annales à S. Prosperi inceptos continuavit, usque ad annum mundi 1449. & tandem in libro suo quem de angelis edidit varias hæreses disseminavit, ideoque damnatus, & igni adjudicatus est.

DECAS VI.

Ab anno Christi 1450. ad 1460.

1451. A Murathes Turcarum Rex obsidionem Croiæ turpiter solvere cogitur, Scanderbego eam strenuissimè defendente: at ex mærore atque apoplexia, immodicoque haustu vini, extremum claudit diem: succedit eidem Mahometes II. viginti & unius anni juvenis: qui ne pater solus sepeliretur, fratrem strangulari, & utrumque funus regio apparatu peragi jussit.

(1452.) Fridericus Romanorum Rex in Italiam pergens, Ladislaum puerum, jam duodennem & Hungariæ, & Bohemiæ Regem secum abducit, & Romæ corona simul ferrea & aurea cum sua conjuge coronatur, peractisque omnibus cerè-

ceremoniis Neapolim ad Alphonsum venit, uxoris suæ avunculum, ubi quoque nihil splendoris omissum. Redux in Austriam Fridericus cogitur Ladislaum Hungaris reddere, qui illum Neostadii obsidebant.

Moritur Amedæus seu Felix V. Genevæ, Ludovico filio Sabaudiæ Duce successore relicto, vir sine dubio magnus, qui potuit se demittere, & ex Papa fieri Legatus.

Ladislaus jam suæ potestatis factus, Hunniadem (depositio jam Gubernatoris titulo) Hungariæ, Bohemiæ Podebrachium, Austriæ Ulricum Comitem Ciliæ præficit.

CONSTANTINOPOLIS CAPTA à MAHOMETE II.

GRÆCI IMPERII OCCASUS ET ORTUS OTTOMANNICI.

1453. ✠ Mahometes Athenis solo æquatis ad obsidendam Constantinopolim se se accingit munitissimâ arce ad Bosphorum non longè ab urbe exstructâ: quod opus adeo Græcos non terruit, ut cæmenta etiam & cibaria laborantibus sufficerent. Curavit etiam ingentis magnitudinis bombardas fabricari, quæ lapides pondo mille ducentorum, vel mille, vel octingentorum librarent. Ignavi autem Græci necquic-

quam his omnibus commoti, vel Tur
non timuerunt, vel in murorum suor
fortitudine spem constituerunt.

Ineunte vere Turci ambitu 13. millia
um, seu centum & quatuor stadiorum va
Constantinopolim præcingunt, & qu
urbs à continente firmissimis mænibu
præcincta erat, navibus 70. per 70. ite
stadia incredibili labore & industriâ impo
sis atque perductis ad portum, eam à ma
aggrediuntur, ponte insuper solubili fa
brefacto, qui murum contingeret, ex quo
prægrandibus machinis infirmiora parti
hujus mænia disjicerent. Urbem defe
debant sex tantùm Græcorum millia, tri
Venetorum ac Genuensium adversùs Tur
corum ducenta quinquaginta octo millia,
& naves trecentas viginti. Non caruit ta
men hæc civitas aliquamdiu in sui oppug
natione suo Hectore; fuit is Joannes Justi
nianus cognomento *Longus*, patriâ Genu
ensis, qui navium Præfectus, Græci Impe
ratoris & gentis ejus misertus ignaviam,
urbis tuendæ curam suscepit, tantâ forti
tudine, ut illa tantùm hoc propugnatore
destituta ceciderit, sicut eo pugnante ste
terat.

Urbi obsessæ suppetias tulerunt tres Ge
nuensium naves, imperatorias frumenta
rias

rias comitatæ, quæ Turcicam classem tam malè mulctârunt, ut supra duodecim hostium millia interemerit, & fremente licèt Mahomete, atque in mare cum suis equum incitante, subiêrint portum, nullo è suis desiderato. Tunc quoq́; Hunniadis ex Hungaria cum pedestribus copiis adventuri, & classis Occidentalium affuturæ fama, utì Græcos voluptate, ita Turcas timore magno affecit, sed non diuturno.

Mahometes enim arbitratus, ab urbis hujus expugnatione dependere felicitatem suam & Imperium, decretoriâ pugnâ die Martis 4. Kalendas Junias, feriâ tertiâ ante festum Corporis Christi urbem invadit, sed cum magna suorum strage. Quo in certamine leviter vulneratus Justinianus, nullo, qui locò suo præesset (idq́; valdè imprudenter relicto, quasi vulnus obligaturus recessit, nec ullis precibus ab Imp. Constantino potuit revocari. Peram ergo primùm trajecit, inde, ubi ad se rediens, flagitii sui recordari cœpit, ex mærore obiît.

Tum ergo fugientibus magis, quàm repugnantibus Græcis, eodem die urbs capta est: Constantinus Imperator vulneratus, abreptus à multitudine, sæpè cadens, sæpe resurgens, conculcatus tandem & obtritus interiît, cui & caput resectum à Tur-

cis ad terrorem Christianorum circumtum est, quorum hoc die quadraginta millia trucidati, sexaginta millia capti ac venditi, eorum thesauri refossi, Turcis celebre, qui ex hac urbe tantum prædæ congêre, ut deinceps ditissimi ex Turcis Constantinopoleos direptioni vulgari parmiâ dicerentur interfuisse: quas pecunias si Græci impendissent in stipendia Occidentalium militum, magna ex parte & thesauros, & libertatem, & Imperium retinuissent. Eodem die Genuenses nequidem rogati, ultrò Peram Mahometi dimiciendam tradiderunt, pecuniæ, quam gloriæ cupidiores mercatores.

Non destitit autem Scanderbegus mittere in se Turcos egregiè retundere, nec victus nec victor gnarus quiescere.

Sic ergo rebus à Christianis Græcis segniter in Oriente, & simul dissidentibus à se Christianis in Occidente, illis voluptatibus, his odio & inimicitiis cruentis diffluentibus, ac hoc quoque tam fatali anno, Francis & Anglis Sfortiâ Duce Mediolanensi, ac Venetis, Alphonso ac Florentinis, aliisque Principibus mutuis se se bellis dilacerantibus, Imperium illud potentissimum post annos 1122 à Constantino Magno fundatum, in Constantino XV. con-

concidit, & translatum est ad Ottomannos. Nec fuit hactenùs Sampson Christianus repertus, qui hanc portam perfregisset, & dirutis vectibus evertisset.

✲(1454.)✲ Fridericus Imperator Ratisbonam conventum indicit de bello Turcis inferendo, sed Principes Christiani mutuis odiis maluerunt decertare, quàm Christi causam tueri. In conventu tamen Francofortensi bellum in Turcas decernitur, adnitentibus potissimùm Joanne Capistrano Minoritâ, & Æneâ Sylvio, hoc oratione, illo pietatis famâ potentissimo.

✲(1455.)✲ Nicolaus V. Papa dum bellum Turcicum promovet, ex mærore captæ Constantinopoleos moritur, vir sanctissimus, magnificentissimus, & eruditissimus, cui substituitur Alphonsus Borgia, Cardinalis Hispanus dictus Calistus III.

Hoc eodem anno obiit B. Laurentius Justinianus, ætatis anno 74. primus Venetiarum Patriarcha.

✲(1456.)✲ Mahometes centum quinquaginta armatorum millibus Belgradum obsidet: in ejus auxilium Joannes Carvaralius Cardinalis quadraginta millia Christianorum adducit, quos Capistranus voce, & Hunniades suâ fortitudine & exemplo accendit. Certatum primò in Danubio est,

sed tantâ utrimque cæde, ut is sangui
totus ruberet; perrupêre tamen in urb
Christiani jam in ultimas angustias re
ctam. Non cessit ideo furor Mahomet
sed decretorio insultu urbem aggredit
irrumpunt Turci in urbem sæpè victi, sæ
pè victores, alternante fortunâ, don
victoria certa stetit penes Christianos, q
Mahomete in pectore plagam accipien
quæ lethalis credita fuit, tumultuosè Bar
bari recesserunt nocte sequenti relictis om
nibus æneis machinis, & omnibus ligneis
accensis: cæsa perhibentur illo insultu &
pugnâ Barbarorum quadraginta millia, ple
riq; Proceres cum Bassa Europæ; nunquam
potuit Mahometes recordari hujus diei,
quin malediceret.

De hac clade Capistranus & Hunniades
certiorem mox reddiderunt Calistum III.
Pontificem, qui festum transfigurationis
Dominicæ ad sextum Augusti, quo die hæc
victoria contigit, in gratiarum actionem
instituit in Ecclesiâ celebrandum. Verum
non multò pòst Hunniades ex nimio labo-
re in febrim ardentem incidit, ex qua in-
victissimus heros & Rege major sanctissimè
obiît, Capistrano ab ejus latere nunquam
avulso; qui & ipse septuagenario major
10. Kalendis Novembris paulò pòst secu-
tus

tus est. Reliquit Hunniades duos filios, Ladislaum jam armis assvetum, & Mathiam adhuc impuberem, utrumque paternæ ditionis & fortitudinis hæredem. Sed & Capistranus post se reliquit laborum suorum comitem Jacobum Picentam in vita & post obitum miraculis clarum. Qui cùm aliquando unà cum Capistrano rejectus esset à sordido nauclero deficiente naulo, super undam expanso pallio cum comitibus trajecit Eridanum, sordido portitore obstupescente.

Turcis Mitylenem in Insula Lesbo oppugnantibus, eâque jam ad deditionem paratâ, hiantibus muris in ruinam, virgo armata mænia ascendit, & Turcas subire ausus trucidat, cujus exemplo cives excitati: Barbarorum ingentem stragem ediderunt, & cum magno dedecore repulerunt.

Ludovicus Delphinus à patre Carolo Franciæ Rege alienatus fugit ad Philippum Burgundum, vultum patris metuens ob Agnetem pulcherrimam patris concubinam, veneno à se, ùt scribitur, sublatam.

✲(1457.)✲ Ladislaus Hunniadis senior filius ob Ulricum Ciliæ Comitem, Hunniadum infensum hostem, quem is Albæ interfici jussit, capite, jussu Ladislai

Regis Budæ plectitur, anno ætatis 24. formosissimus ac fortissimus juvenis, cui pr commiserationis affectu vix quarto ict tortor caput resecare potuit. Frater ejus minor natu Mathias. Corvinus annorum tunc septendecim à Ladislao Rege Viennam adductus est, à Podebrachio custodiendus: Eodem anno Ladislaus Bohemiæ & Hungariæ Rex præstolatur sponsam filiam Caroli Regis Franciæ, sed repentè non sine suspicione veneni, Pragæ extinctus est.

Turcarum copiæ in Scanderbegum immissæ, rursùs ab hoc Achille Christiano retunduntur ac dissipantur.

Ussumcassanus Persarum Rex à Calisto Pontifice excitatus Turcas invadit. Similiter Calistus Cardinalem Aquileiensem cum classe in Orientem mittit, ubi multas Turcarum naves depressit, Insulas aliquot eis ademit, Ægyptios, Cilios & Syrios terruit.

✲(1458.)✲ Dum Demetrius & Thomas Palæologi inter se decertant, Mahometes II. expugnat Corinthum, & vectigal imponit Peloponeso.

Mathias Corvinus Joannis Hunniadis filius è carcere Pragensi ad regium solium evehitur, mirabili fortunæ ludo, quæ

unum

unum fratrem propè è thalamo nuptiali rapuit ad supplicium, & alterum è carcere evehit in solium.

Eodem anno sepositis multis competitoribus Gyrziko, sive Georgius Podebrachius vir fortis, sed Hussita, ac postea per bella non multùm emendatus, inter hæreticum & Catholicum medius, in Regem Bohemiæ proclamatur.

Calistus III. octuagenarius Romæ moritur, relictis pro bello Turcico centum quinquaginta millibus aureorum: cui successit Æneas Sylvius, patriâ Senensis, ex nobili, sed inope familiâ, dictus Pius II, vir consilio ac industriâ potens, magnæq; eruditionis & eloquentiæ.

✲(1459.)✲ Pius II. Pontifex in Concilio Mantuano bellum contra Turcas decernit, seque ipsum pro hac expeditione Ducem offert, Sed hic totus conatus ob Principum Christianorum vecordes discordias evanuit.

Demetrius & Thomas Palæologi, dum residuam partem Peloponesi sibi invicem eripere volunt, totam perdunt, quam universam occupat Mahometes, eorundem mutuò concertantium auxilio, Thomâ in Corcyram fugiente, & Demetrio cum sua sparta Turcis se dedente. Fortunam post-

modùm variam expertus est Demetrius donec Hadrianopoli tandem factus Monachus obiît anno 1470. bene usus suâ calamitate in æternam felicitatem commutatâ. Thomas ex Corcyra Romam venit, qui etiam anno 1467. filios suos Andream & Manuelem cum Sophiâ filiâ accersivit, ubi liberaliter, jussu Pontificis, educati sunt. Manuel autem, familiarium svasione, Româ desertâ, fugit Constantinopolim, a Mahomete lautè habitus, ubi & duos genuit liberos, quorum unus junior obiit, alter, relictâ fide, factus est Saracenus. Et sic Palæologorum familia exspiravit.

S. Antoninus Archi-Episcopus Florentinus moritur, nihil relinquens divitiarum præter mulum, quo vehebatur, & quem pauperibus nondum dederat.

Joannes Andegavensis validâ classe in regnum Neapolitanum invectus, à multis Proceribus & urbibus recipitur, atque ad Sarnum fluvium Ferdinandum profligat, facili negotio Neapolim capturus, si obsedisset, priusquàm à Pontifice & Sfortiâ auxilia Ferdinando venirent, quibus obtentis ille rem suam restituit.

✲(1460.)✲ Principes Orientis invitant Occidentales in Turcas, quibus illi pollicentur aggredi Mahometem in Asiâ, dum eum

eum Christiani in Europa detinerent. Sed surdis canebatur fabula. Quo tempore Monobassia, olim *Epidaurus*, vulgò *Malvasia*, Græcis recentibus *Monemboſia* seſe Pontifici dedit, cùm eam Thomas Palæologus Turcis tradere vellet, & huic defendendæ impar esset Demetrius. Uno tantùm aditu subiri potest, ferè inexpugnabilis, diù à Pontifice & Venetis servata, tandem etiam communeGræcis jugum subiît, à Turcis occupata, nunquam occupanda, si defendi voluisset.

DECAS VII.

Ab anno Christi 1460. ad 1470.

1461. CCorruit hoc anno Trapezuntinum Imperium, captis Sinope & Trapezunte cum Rege suo Davide Comneno, qui Joanni succesſerat, & cæso paulò pòst cum filiis Davide, universa familia Palæologorum in Græcia extinguitur. Thomas tamen Palæologus Romam venit profugus ac inops, ut ibidem ex aliena misericordia viveret, qui fratrem Demetrium consortem Principatûs ferre noluisset.

Crescentibns seditionibus in Anglia, Rex ipse Henricus prælio victus capitur à

Richardo Eboracensi Duce, decretumq; est à Senatu, ut regni Eboracensis effector, Rege superstite, eo verò mortuo regnum obveniret Eboracensi familiæ, sed Margaritha Andegavensis Regis Conjux magni animi fœmina, collecto exercitu cum hostibus ipsa bis pugnat & vincit, occiso Eboracensi cum filio, & aliis conspiratoribûs supplicio affectis, sicque Rex ipse libertatem recuperat.

Obiit hoc anno Magduni Biturigum Carolus VII. cognomento *Victor*, ex humore melancholico, quo periit, dum metu veneni à cibo abstinuit, ab omnibus desertus. Successit ei filius Ludovicus XI, ùt multi numerant, aliis autem XIV. Vir ingenii perspicacissimi, in quo nihil defuit ad perfectum Principem, nisi quòd litteras oderit. Abrogavit ille statim Pragmaticam sanctionem rogante Pio II, reclamante licèt Academiâ Parisiensi & Parlamento, Basileensis Concilii fautoribus, cujus ille fœtus erat.

✠(1462.)✠ Mahometes Turcarum Imperator Walachiam invadit, & provinciâ illâ Bladum Waiwodam spoliat, suffecto ei fratre Draculâ, Bladus autem ad Mathiam Regem Hungariæ profugit, sed ob ejusdem epistolam ad Mahometem datam & interceptam

terceptam, velut proditoriam à Mathia in custodiam datur, in eâque decennio integro detinetur. Fuit autem Bladus iste (alii scribunt Blodus) tantæ crudelitatis, ut præter alia tormenta, quibus innumeros, etiam innoxios è medio sustulit, jusserit interdum vivos excoriari, ac sale conditos capris objici, ut linguæ asperitate dolor eorum augeretur.

Joannes Andegavensis toto ferè regno Neapolitano excidit.

Fridericus Imperator obsidetur Viennæ ab Alberto fratre, sed adjutus à Georgio Podebrachio Bohemiæ Rege liberatur; Cujus filios Victorinum & Henricum Fridericus Principes Imperii creavit.

Hoc anno agitari cœpit quæstio inter Dominicanos & Minoritas, utrùm sanguis Christi in triduo passionis unitus perseveraverit? Negativam sustinebant Dominicani, & Minoritæ affirmativam: Nihil statuit Pius, sed utrique parti indixit silentium, & vetuit alterutram sententiam hæresis accusare, constitutione editâ Kalendis Augusti, anno 1464.

✲(1463.)✲ Turcæ occupant Bosniam, mox tamen Mathias cum suis Hungaris Jaiczam Provinciæ caput recipit, quam dum reoccupare tentat Mahometes, civibus,

fœminis, & pueris pugnaciſſimè ſe ſe defendentibus, cum ignominia recedit, plurimis ſuorum amiſſis, & tormentis in profluente merſis.

Veneti quoque Hungaris confœderati excitati à Pio Pontifice, arma arripiunt contra Turcam.

Henricus Caſtellæ, & Ludovicus Galliæ Reges in finibus regnorum conveniunt, diſſidium de regno Navarræ compoſituri, ſed fructu exiguo; aulicis enim utriuſque Principis mutuis ſe ſe dicteriis pungentibus, præter contemptum nihil retulerunt.

Finis hoc anno impoſitus eſt bello Neapolitano Principe Tarentino jam fatisfuncto, qui tuba belli potiſſima fuerat, & ab hoc tempore Joannes Andegavenſis omnibus jam amiſſis, nec jam triremibus ſuis ùt Rex, ſed ùt pirata pugnans, in Franciam ſuam rediit, victoriâ & regno Ferdinando relictis.

✲(1464.)✲ Reſtituit tandem Fridericus Imperator Hungaris regni coronam, quam cum Ladislao poſthumo acceperat, tot jam annis retentam quà Mathias Corvinus Budæ coronatus, mox in Turcas profectus eſt, & Zoynichum Ruſciæ urbem obſedit, ſed Panico timore perculſus, & machinas, & impedimenta, & quod præci-

puum

puum erat, gloriam multis victoriis partam reliquit.

Ludovicus Sfortiæ Duci Mediolanensi Saonam reddit, eumque in odium, ùt creditum est, Domûs Aurelianensis, tanquam amicum agnoscit.

Conspirant Galliæ Proceres in Regem Ludovicum XI. atque inprimis Duces Britanniæ & Borbonii, ac Comes Carolesius Philippi Burgundi filius, auctore Carolo Biturigum Duce Regis fratre, ac Belli-Principe, quod à *Bono publico* nomen accepit, omnium tessera fuit ligula serica, nec Rege, neque Magistratibus ad hanc novitatem satis invigilantibus.

Eodem anno Castella quoque fuit impacata motu Procerum, qui contra Henricum Principem, attracto in partes suas Alphonso Regis fratre rebellârunt.

Pius II. Papa dum Anconæ innumerabili Christianorum armatorum multitudine concurrente contra Turcas classem parat, diem suum obit anno ætatis 58. Vir sine dubio magnus, & ab eruditis nunquam satis laudatus, à novatoribus autem contumeliosissimè exceptus, quorum tamen convitia à peritis rerum æstimatoribus laudes judicantur. Datus est Pio II. successor Romæ Petrus Barbus Venetus, Cardinalis S. Marci

Marci, sanatus ex peste à B. Virgine Lauretana cum pollicitatione insuper Pontificatûs, nominatus is est Paulus II. De hoc Pontifice non est habenda fides Platinæ, quid enim mirum si multa contra eum effutiat, à quo longo carcere subactus fuit, imò & tormentis subjectus ob conspirationem, & impietatem.

Instituit Paulus II. in ornamentum Cardinalium biretum rubrum, & suæ quoque magnificentiæ Papali paravit tiaram gemmeam cum tribus coronis (quod vulgò *Regnum* dicitur) viginti millibus nummûm æstimatam, & bellum contra Turcas plus omnibus Principibus promovit.

Stephanus Rex Bosnienſis, ac jure uxorio Serviæ ac Rasciæ Despota, bello petitus à Mahomete Turcarum Imperatore, & obsessus Jaitzæ, blanditiis ejus ad colloquium evocatus, cute vivus exuitur, ac licèt perfidè ab impio tyranno, justo tamen Dei judicio cum vita regnum, quod propriò patri fraudulenter eripuerat, amittit, & hoc modo Bosnia, Rascia, & Serviæ magna pars in Turcarum potestatem pervenit, Jaitzam cum aliis aliquot oppidis Mathiâ Rege sibi vendicante.

✠(1465.)✠ Bellum diuturnum inter Regem Poloniæ Casimirum & Equites Teutoni-

tonicos componitur, conceßâ his à Rege Pruſſiâ, eâ conditione, ut juramentum fidelitatis eidem præſtare obligarentur.

Scanderbegus Crojam adversùs Turcam defendit, damna recipiens à Turcis, iterum damna ingentia eiſdem infligens, vir ad miraculum fortis.

Mahometes, ut conſilia Principum Chriſtianorum contra ſe diſturbaret, Ferdinandum Siciliæ Regem ingentibus promiſſis & muneribus ad amicitiam ſollicitat, quem tamen hic fortiter & laudabiliter rejicit.

Henricus Angliæ Rex vel tædio exilii, vel à ſuis compulſus ex Scotia irrepſit in Angliam, verùm agnitus Londinum perductus eſt, ubi juſſu Regis à nemine ſalutatus, ante turrim Londinenſem ter circa cippum ignominiosè circumactus, eâdem incluſus, & ex ſolio detruſus eſt in carcerē.

Erupit hoc anno factio Procerum Francicorum, dicta *Factio boni publici* adversùs Ludovicum XI. conjurata, & magno armorum ſtrepitu utriuſque partis per totam Franciam tumultuata. Ad montem Letericum ab utroque exercitu, Regis, & conjuratorum Procerum ita conflictum eſt, ut multis utrimque cæſis, & multis captis viſa fuerit ab utraque parte ſtetiſſe ſangui-

sanguinea victoria. Redintegratis de utriusque partis militaribus copiis, iterum ad Stadiocritam stetêre parati exercitu ad pugnam quoque redintegrandam. Rex autem pejora veritus, quàm passus jam fuerat, ac suorum odium nimis manifestum agnoscens, consilio maximè Francisci Sfortiæ Ducis Mediolanensis amicissimi sui persvasus, agitavit ea, quæ pacis erant. Itaque his conditionibus pax inita est ad Confluentiã, ideò dicta pax Confluentina: ut Carolo Regis fratri Biturigum loco concessa fuerit Nortmannia, Carolinæ quatuor urbes ad Sommanam, Comiti S. Pauli dignitas Comitis stabuli, alia aliis. Selecti quoque 36 viri ex Clero, qui cum Rege de regno stabiliendo statuerent. Sicque omnes ad sua redière. Carolesius autem cùm se brevi pòst difficili bello cum Leodiensibus implicuisset, hac occasione usus, Ludovicum Carolum expulit Nortmanniã, & ad Franciscum Sfortiam inimicum suum ire compulit.

Tumultibus quoque intestinis commoti sunt hoc anno Castellani contra Henricum Regem, ejusque fratrem Alphonsum substituerunt.

Simili turbine agitata Arragonia à Catalaunis, qui Petrum Lusitanum, Equitum Magi-

Magistrum Barcinone Regem Arragoniæ creaverunt. Sed hic anno sequenti victus & extinctus veneno locum suum reliquit Renato Andegavensi, qui à Catalaunis judicatus est idoneus, ut cum his esset capitalis hostis Arragoniorum.

✲(1466.)✲ Paulus II. Georgium Podebrachium Bohemiæ Regem anathemate ferit tanquam fautorem Hussitarum, tyrannum in Catholicos, & Ecclesiæ ac Pontifici rebellem. Bohemiam autem Matthiæ Regi Hungariæ donat. Tum etiam Rockysana subitâ paralysi perculsus loqui desiit, hâc corporis parte potissimùm mutilatus à Deo, quâ graviùs deliquerat.

Sol Romæ visus tergeminus multos terret.

Obiit Franciscus Sfortia Dux Mediolanensis vir bello & pace clarus, post quem, Galeatius filius qui hactenus apud Ludovicum XI. agebat, dissimulato habitu rediens in Italiam, Principatum auspicatus est à sacrilegiis Ecclesiasticis, & ut ostenderet, se Neronem esse, matrem Blancam rectè monentem & increpantem veneno sustulit.

✲(1467.)✲ Obiit hoc anno Lissi ad Drillum fluvium ex febri Georgius Castriottus Scanderbegus, ibidem sepultus: tan-

tæ

tæ apud Turcos Venerationis ut hi capu Lissо, ejus ossa postmodùm diripuerint, & thecis aureis aut argenteis incluserint ad fortitudinem sibi conciliandam : reliquit filium Venetiis enutritum, qui postea nobilem familiam propagavit, in Apulia, in ditione ab Alphonso ejus patri donata, paternâ potiùs, quàm propriâ virtute illustris.

✲(1468.)✲ Mathias Hungariæ Rex Podebrachium invadit, & eidem aliquot urbes in Moravia eripit. Cum verò Wallachico & Moldavico bello alibi implicatus esset, relictâ Bohemiâ suis rebus magis consulebat. Et sic tutus mansit Georgius, ac Pontifex ab Hussitis irrisus. Bohemi autem Catholici petiêrunt sibi in Regem filium Casimiri Regis Poloniæ, sed renuit ille, suis quoque rebus invigilans præ alienis.

Fridericus Imperator voti reus cum exiguo comitatu Romam peregrinatur, exceptusque à Pontifice cum eodem de bello Turcis inferendo consultat.

Moritur Cardinalis Turrecremata Dominicanus Octuagenario major insignis sui temporis scriptor.

✲(1469.)✲ Mathias Rex Hungariæ maximâ Bohemiæ parte occupatâ co-

rona-

ronatur ejusdem Rex, Georgio fugiente Pragam, cujus filium captivum Rex in Hungariam ducit.

Cardinalis Balves Molitoris seu Sartoris Virdunensis filius multas in Francia discordias seminat. Erat is primò in famulatu Juvenalis Ursini, deinde Joannes de Bella-Valle Episcopi, & tandem innotuit Regi propter callidissimos mores, eique de eleemosynis primò, postmodum Cardinalis & Episcopus Ebroicensis creatus est, omnibus negotiis implicitus, & purpuratus ardelio: quare cum aliquando milites recognosceret, rogavit Regem Comes Dammartinus vir scientissimus belli, ut Ebroicensem ipse lustraret Episcopatum, ut ejus ageret vices qui suas usurpâsset. Cardinalis hic Proditionis auctor (quâ conatus est Carolum Ducem à fratre Ludovico Rege disiungere, & Burgundum ad invadendum regnum invitare) nuncio quodam ad Clayam capto detectus, unà cum Guilielmo Haraucurtio Episcopo Virdunensi totâ plaudente Franciâ pœnas dedit : Balves in carcere XI. annos contrivit : Virdunensis, auctor cavearum ferrearum, annis 14. in earum una inclusus, Perillæo supplicio mulctatus est.

Paulus II. bellum gerit ad Ariminum, contra

contra Malateſtam, huic auxiliante Ferdinando Siciliæ Rege, viro ingratiſſimo in Romanam ſedem, cujus favore & opere bis regnum conſecutus erat.

✲(1470.)✲ Mahometes Turcarum Imperator votum quod fecerat executurus, cum ingenti claſſe & majori exercitu pedeſtri Lemnum vaſtat, Chalcidem capit hodie *Nigropontum* dictam, Euboeæ Inſulæ urbem primariam oppugnat diebus 30. & per ignaviam Canalii claſſis Venetæ præfecti occupat: & hic quidem à Venetis in exilium actus, Erizzius autem urbis gubernator qui deditionem fecit, per medium corpus ſectus eſt, crudeli joco Machometis dicentis, capiti non lateribus promiſſam eſſe incolumitatem. Filia ejus formoſiſſima ad Sultanum adducta ad libidinem & renuens petitioni ejus acquieſcere, jugulata, purum Chriſto Spiritum reddidit.

Germania turbatur diſſidentibus inter ſe Friderico Imperatore, Caſimiro Poloniæ & Mathia Hungariæ Regibus: quæ contentiones Georgio Podebrachio valde utiles fuerunt.

Henricus Anglus regno reſtituitur, expulſo Eduardo ab eodem, qui eum in throno collocârat, Richardo Comite Varvicenſi.

DE-

DECAS VIII.

Ab anno Christi 1470. ad 1480.

1471. GEorgius Podebrachius hydrope moritur, secutus suum Rockysanam, qui quintiduo antè obierat: a Bohemis eligitur in Regem Uladislaus Casimiri Regis Poloniæ filius, qui mox cum magno exercitu adfuit, præcavens ne a Matthia, RegeHungariæ suo æmulo interciperetur. Sed & Hungari quidam in Regem Matthiam conspirant, petito in Regem Casimiro altero Casimiri filio, qui pariter cum ingenti exercitu adfuit, sed a Matthia conspiratione detectâ præventus, & in Poloniam recedere coactus est.

Eduardus paulò antè Angliâ expulsus cum auxiliis Caroli Burgundi, redit in patriam adjuncto sibi fratre, Duce Clarentiæ qui Londinum ingressus cepit Henricum, & hujus uxorem Margaritham, quæ Henrico in auxilium venerat, cum Eduardo filio & Duce Sommersetensi & Margaritha quidem pretio redempta mærore contabuit in Gallia. Eduardus autem filius & Sommersetensis in pugna interempti sunt. Henricus in turri Londinensi gladio cæsus,

vir

vir religiosissimus & post obitum miracu clarus, infelix in terris ut regnaret in cœl

Alphonsus Rex Lusitaniæ paratis 30. navibus & 30. armatorum millibus Azil- lam & Tingin in Africa occupat, & munit propugnacula simul & monumenta suæ vi- ctoriæ.

Paulus II. anno ætatis suæ 53. sedis sep- timo apopoplexiâ correptus obiit, non au- tem (ut heterodoxi turpiter confinxère) in actu Venereo à dæmone strangulatus, Pontifex fuit inter bonum & malum medi- us. Successorem habuit Franciscum Ru- vateum Minoritam & Ordinis sui Mini- strum Generalem, factum Cardinalem ad- nitente Bessarione, cui propter virtutem & scientiam acceptissimus erat, nominari vo- luit Sixtus IV. hic statim duos nepotes su- os Cardinales creavit, Julianum, qui postea Julius II. Pontifex fuit, fratris sui filium, & Petrum Riarium filium sororis suæ, ul- tra fas omne profusum, qui anno trigesimo secundo ætatis suæ jam voluptatibus con- fectus est, ignominiâ in avunculi famam merito redundante.

Moriuntur hoc anno Dionysius Carthu- sianus, dictus extaticus ob revelationes su- as, & Thomas de Kempis Canonicus Re- gularis S. Augustini.

1472.

✲(1472.)✲ Romanus Pontifex, Veneti, Rhodii equites, & Rex Neapolitanus, cum Uſſumcaſſano Perſarum Rege expeditionem in Turcas ſuſcipiunt, ſed exiguo eorum emolumento. Smyrnam nihilominus diripiunt, omneſque illius incolas abducunt majore pompa, quàm utilitate. Uſſumcaſſanus quoque ab alia parte cum 50. millibus Equitum Trapezuntem & Neo-Cæſaream eripit. Sed etiam hi dum nimis avidè ſuam ſectantur gloriam, non ſatis bonos ſe exhibuerunt.

Sophia Thomæ Deſpotæ fratris Conſtantini Imperatoris Conſtantinopolitani filia data eſt uxor Joanni Moſchovio ſive Ruſſorum Principi, dote regiâ à Sancta Sede numeratâ, ut hæc maritum ad veram fidem converteret, ſed à marito in pravum perverſa docuit, ſpem innixàm fæminæ & præſertim Græcæ vanam eſſe.

Cardinalis Beſſarion vir linguarum peritiſſimus & eloquentiſſimus Pontificius Legatus in Gallia moritur hoc anno, dictum eſt ejus pectus eruditionis Sacrarium, & domus ejus ſedes Muſarum. Oſor fuit Ariſtotelicæ Philoſophiæ, tenaciſſimus Platonicæ.

✲(1473.)✲ Quidam Chriſtianus adoleſcens Antonius Siculus Callipoli deten-

tus à Turcis cum agnoviſſet Mahomet classem & armamentarium malè ſervari triq́ue flammas injicere decrevit. Vectus ergo Naupliam ubi Mozenicus in hiberna ſtabat, huic Conſilium ſuum aperit, acceptâque Scaphâ cum pomis venalibus eo venit, ac ſequenti nocte ignem armamentario injecit. Idem incendium claſſi parabat, ſed accurentibus multis fugere compulſus eſt: dumq́ue per Helleſpontum redit, demersâ naviculâ in ſylvam proximam ſeceſſit, ubi detectus, & ex pomis natantibus agnitus, tyranno faſſus eſt ſuum facinus, atq́ue ejus juſſu per medium ſectus, doluit tantùm, quòd majus damnum non intuliſſet. Senatus Venetus ejus fratri cenſum annuum, & ſorori dotem aſſignavit, ut hæredes ejus fraternæ virtutis meminiſſent.

Mahometes tranſmiſſo Euphrate Uſſumcaſſanum prælio vincit, abſterritis Perſis bombardarum uſu, quibus Turcæ abundabant, & illi carebant. Tunc quoq́ue Uſſumcaſſani filius (qui victoriam priùs a cæſo Europæ Baſſa Bedlierbego filio Thomæ Palæologi apoſtatæ reportârat, & ſtragem magnam Turcarum ediderat) globo trajectus interiît. Commiſſi ſunt Turcarum trecenta viginti, & Perſarum trecen-

ta quinquaginta millia, Persæ victi cum Rege suo in montes se se receperunt. Mahometes autem circumpositam regionem depopulatus, rediit Constantinopolim, & in singulis stativis quingentos captivos interimens suæ crudelitati victimavit.

S. Franciscus de Paula Ordinem Minimorum instituit, qui à Sixto IV. Papa confirmatur.

HÆRESIS ET IMPIETAS HERMANNI RISSUICH HOLLANDI.

Multorum errorum convictus primò sententiam mutavit, & carceri perpetuo mancipatus est; cùm anteà inde evasisset, in priores errores relapsus. alios insuper pejores adjunxit: quarè iterùm damnatus & judicibus sæcularibus traditus, igne consumptus est.

1. *Negabat, Angelos, sive bonos, sive malos à Deo creatos esse.*

2. *Catholicos irridebat, quòd infernum esse dicerent.*

3. *Asserebat materiam, quâ constant elementa, non à Deo productam esse, sed ipsi coævam esse. Et Moysen, qui eam creatam esse scribit, hominem vesanum appellavit.*

4. *Docebat, animam hominis unà cum corpore interire.*

5. *Christum stultum, amentem, variis ima-*

ginibus deluſum, ſeductorem vilis plebeculæ iſſe, blaſphemabat. Item, quicquid egiſſet Chriſtus, id omne rectæ rationi, & humano generi contrarium eſſe.

6. *Fabulas eſſe, quæ fides noſtra docet, ficta eſſe Biblia, Evangelium merum deliramentum eſſe. Et Deum, utì creavit mundum ſine incarnatione, ſic etiam abſque incarnatione Verbi Divini ſalvare.*

✲(1474.)✲ Uſſumcaſſanus ſe egregiè de Turcis vindicat, aliquot Provinciis ereptis, & Perſico Imperio adjiciens Cappadoces, Armenos, Georgianos, jam toto Oriente, Turciſque metuendus, neque indigus auxiliis Chriſtianorum, utpote, qui numerabat hoc anno decies centies armatorum millia.

Mocenico Duce Venetorum facto, Antonius Lauredanus claſſi præfectus Nauplactum à Turcis obſeſſum ſervat, & Coccinum Lemni Inſulæ oppidum, ubi Marullus puella patris ad portam cæſi filia arrepto enſe & clipeo, popularibus ſuis animos reſtituit, & Turcas ad naves uſque fugavit, magnâque eorum clade, patris necem vindicavit.

Simeoni Conſtantinopolitano Patriarchæ ſucceſſor à Mahomete datur Raphaël, qui plus pecuniæ pollicitus erat, homo illiterа-

literatus, & adeo deditus ebrietati, ut præ crapulis quotidianis nequidem festis Paschalibus stare, & divina peragere potuerit, cùm autem vertente anno promissam pecuniam dare non posset, catenâ ferreâ ligatus à Turco satellite circumductus est per domos ad stipendia colligenda, ut promissa solveret.

Bohemi refractarii Uladislao Regi suo insultant, tanquam precariò regnanti Regi, Hussitæ quoq́; scommatis insolenter proscindunt: Mathias autem cum Casimiro Poloniæ Rege, patre Uladislai pacem componit.

✲(1475.)✲ Stephanus Vaivoda seu Patinus Moldaviæ & Walachiæ cum triginta suorum millibus, vincit Turcorum centum millia, omnibus aut occisis, aut captis. Ut pro tam insigni victoria gratias ageret, Deo quatriduo in pane & aqua jejunavit. Hanc victoriam impedire voluit Mathias, quia partem habere non poterat, tanquam à subdito suo reportatæ, ideo sex millia Hungarorum in Walachiam præmisit, quos autem Stephanus, tanquam victoriæ suæ præludia debellavit.

Achmetes Bassa Epirotes Theodosiam vulgò *Caffam* in Taurica Chersoneso nobile Emporium atque utilissimum Ponti Eu-

xini per Genuenſium ignaviam eripit Chriſtianis. Fuit Achmetes humili loco natus, ſed Mahometi ob bellicam peritiam & fortitudinem chariſſimus. Cujus uxorem pulcherrimam, cùm Muſtapha filius Mahometis in balneo corrupiſſet, & de hac injuria Achmetes queſtus eſſet, Muſtaphan non tantùm increpuit, ſed etiam nervo ſtrangulari juſſit.

Ludovicus Francus, & Carolus Burgundus æquè armis ſe perdere, atque occultis dolis ſe opprimere ſatagunt. Carolus Hardito 50. aureorum millia pollicitus eſt, ſi veneno Ludovicum tolleret: Sed patefactis inſidiis veneficus decuſſatim diſtractus eſt, & caput ejus infixum palo, ad majorem & diuturniorem Caroli ignominiam.

Renatus Lotharingiæ Dux, & Helvetii hoſtes contra Carolum Burgundum, à Ludovico Francorum Rege excitati, ejus ditiones aggrediuntur. Quod idem ex alia parte præſtat, Rex Ludovicus, & advenientem Eduardum Angliæ Regem in auxilium Caroli, inito cum eo colloquio apud Piquigniacum, ſponſatâ quoque filiâ Eduardi Delphini, remittit ad ſua, fiuntque induciæ cum Burgundo, qui Lotharingiam invadens ferè totam occupavit, Renato ad Lu-

Ludovicum Regem confugiente. Ludovicus autem Lucemburgius Comes S. Pauli Comestabilis Franciæ, quòd contra Regem quædam molitus esset, à Carolo Burgundo, ad quem confugerat, proditus & traditus, Parisiis capite truncatus est.

Judæi Tridentini Simeonem puerum martyrio afficiunt.

✲(1476.)✲ Stephanus Waiwoda Moldaviæ, in se erumpentes Tartaros prælio vincit, & usque ad Borysthenem fluvium cædendo insequitur, mox tamen cum Turcis redeuntes quingenta hominum millia in Wallachiam se infudêre. Sed Casimiro cum magno exercitu adventante & à Stephano repressi, machinis omnibus amissis, victis similes recesserunt.

Moritur Jacobus Rex Cypri puer, & Veneti regnum possessione capiunt, nomine Corneliæ matris Jacobi, quæ erat Veneta. Interea autem in Foro-Julio à Turcis magna detrimenta patiuntur, qui totam regionem incendiis deformârunt, Alpibus incredibili celeritate superatis: equos enim suos simul complicatos & conjunctos per juga præcipitârunt in subjectas valles: & actum fuisset de ista regione, nisi Carolus Montonus Ductor Venetarum copiarum inhibuisset.

Constantinopoli electus est Patriarcha Manuel Monachus, dictus Maximus, vir eloquens & charus Mahometi, cui ostendit vim excommunicationis in quibusdam anathemate afflatis, quorum cadavera nigra instar tympani intumescebant, nec dissolvebantur in cineres, nisi ablatâ excommunicatione, & Ecclesiæ precibus adhibitis : tunc enim reliquorum more hæc corpora in cineres redigebantur, quod in mulierecula & duobus Patriarchis Joannicio & Arsenio confirmavit. Et scribitur à Religiosis id etiammum contingere : sed in his magnum est periculum fraudis & imposturæ, quâ Græculi supra reliquos mortales valent, & hominibus quantumvis prudentibus imponunt.

Sixtus IV. comprobat Officium B. Mariæ Virginis Immaculatæ.

Carolus Burgundus leviſſima ex causa adversùs Helvetos bellum suscipit, qui fortiter illi se opponunt ac tertiâ vice cædunt, duodeviginti millibus Burgundorum desideratis, quâ ultimâ clade etiam Carolus Burgundus tribus vulneribus confossus interiît, & vir impacatus sibi atque aliis quietis impatiens, frustra sibi Imperium Galliæ & Italiæ pollicitus, toto triduo jacuit insepultus, ægrè à suis cognito cadavere audi-

auditâ Caroli morte Ludovicus XI. ditiones ejus invasit.

Galeatius Dux Mediolanensis festo S. Stephani in æde sua à conjuratis interficitur propter atrocia scelera & libidines. Primarius percussorum dux Hieronymus Olgiatus etiam sub manu carnificis versus recitavit, quibus sibi famæ immortalitatem ob præclarè gestum facinus gratulatus est. Patri successit in Ducatu Galeatius filius, puer sub tutela matris ac Procerum constitutus.

✲(1477.)✲ Turcæ Crojam Epiri Metropolim deditione capiunt, quibus Veneti, auri quàm gloriæ cupidiores, insuper Scodram cum Laconiæ promontorio & Lemno Insulâ cum pensitatione octo millium aureorum tradiderunt, ad repetendam pacem & commercia liberè per Græciam exercenda.

Mathias Hungariæ Rex armis appetit Fridericum Imperatorem, & Viennam Austriæ obsidet, latè omnia depopulatus. Imperator autem quietis quàm belli amantior pecuniâ hostem abigit, & Maximiliano filio suo nuptias celebrat Gandavi cum Maria Burgunda, ex qua vertente anno Philippus natus est Caroli V. pater, affinitate tam utili Austriæ, quàm Galliæ perniciosâ:

Sic enim omnes Provinciæ Belgicæ, ac deinde etiam Hiſpaniarum ad Auguſtiſſimam Domum Auſtriacam jure hæreditario tranſiverunt.

✲(1478.)✲ Mortuus eſt hoc anno Uſſumcaſſanus, cui ſucceſſit minor filius Jacuppus, dictus *Chiorzeinal*, id eſt, monoculus, qui eodem die, quo pater mortuus eſt, filium interemit, ſeptem annis regnavit, & potatus veneno ab uxore impudicâ præparato interiit, cujus tamen partem ipſa quoque bibere coacta cum filiolo pœnas dedit. Ab hoc tempore Reges Perſiæ inglorii fuerunt, uſq; ad Sophi, ſub quo res Perſica refloreſcere cœpit.

Georgius Clarentiæ Dux ab Eduardo Angliæ Rege fratre ſuo perduellium ſupplicio addictus, datâ optione pœnæ, eligit in dolio vini Cretici, ſeu Malvaſiæ ſuffocari, ut ſic vinolentus dulciori, ſed magis infami mortis genere occumberet.

Inquiſitio fidei in regno Caſtellæ primò inſtituitur, ac deinde per alia quoque regna propagatur.

✲(1479.)✲ Mathias Hungariæ Rex Ducibus Stephano, Bathoreo & Paulo Kiniſio inſignem de Turcis refert victoriam, cæſis eorum triginta millibus.

Imperium Moſcoviticum, quod Tartaris

ris jam vectigale erat, denuò erigitur per Joannem Basilii magnum Ducem Moschoviæ, qui eorum jugum fortiter excussit.

Genuenses jugum Ducum Mediolanensium exosi, Ducem sibi creant Joannem Baptistam Fulgosum cum Octovirorum consilio, quod semen erat belli Italici.

Ludovicus XI. Franciæ Rex, & Maximilianus Flandriæ Comes, filius Friderici Imperatoris inter se bellum gerunt, in quo Ludovico (quod mirum est) dolo & fraudibus instructissimo, ille prævaluit, & victoria cessit Maximiliano, pro uxoris juribus pugnanti, quamvis Cadmæa. Contigit hoc bello, ut Austriaci captum quendam nobilem Vasconem suspenderent, ad quam ignominiam compensandam Ludovicus quinquaginta nobiles captivos in conspectu Insularum & Attrebati suspendi jussit, quorum furcas atque supplicium sexcenti cataphracti equites, sex peditum millia cohonestârunt.

Helvetii nunc primùm consensu gentis à Rege Francorum stipendia accipere incipiunt, sublato à Rege Ordine sagittariorum, quos Carolus ejus pater instituerat, quòd latrociniis & rapinis vacarent. Ludovicus tamen primus Helvetiornm civis & fœderatus renunciatus est. Fuerunt,

porrò Helvetii tunc temporis tam simplices (tametsi fortes essent) ut aurum pro ære, argentum pro stanno ac plumbo distraherent.

✲(1480.)✲ Equites Rhodii Turcas ab obsidione Rhodi Insulæ repellunt, cæsis Turcarum octo millibus, & quindecim millibus vulneratis: sed eodem tempore ad distinendum Ferdinandum, ne Rhodiis suppetias ferret, à Mahomete in Italiam missus Achmet Bassa cum ingenti classe Hydruntum appulit, & hanc urbem diebus septendecim tormentis laceratam occupavit, atque in ea crudelissimè sæviit, duodecim millia Christianorum cæsi vel abducti: Archi-Episcopus senex serrâ ligneâ sectus: prægnantibus alvi apertæ, & fœtus eruti: senes equorum ungulis conculcati: virginibus omnibus & matronis dedecus inflictum. Tunc Principes Italiæ relictis diffidiis, & advocato Mathiæ Regis Hungariæ auxilio fœdus contra Turcas iniêrunt: Tentârunt eâdem occasione Turcæ Ædem Lauretanam expilare, sed vel illius aspectu tanto tremore sunt correpti, ut vix fugâ salvare se possent.

Cardinalis Balves ex undecim annorum carcere liberatur precibus Juliani Ruverii Cardinalis nepotis Papæ, atque ex Gallia Lu-

Ludovico insalutato in Italiam rediens, à Pontifice & Cardinalibus perhumaniter receptus est, & mortuo Ludovico Galliam auctoritate Legati invisit, ut ignominia carceris sic reliniretur.

DECAS IX.

Ab anno Christi 1480. ad 1490.

1481. MOritur Mahometes I. Turcarum Imperator & Christiani nominis infensissimus hostis. Extinctus est in prato quodam doloribus colicis, ut computant quidam anno ætatis 53. postquam duo Christiana Imperia Constantinopolitanum & Trapezuntinum, ac duodecim regna subvertisset, & plusquam ducentas magnas urbes Imperio suo subjecisset, ideoque à suis nomen Magni obtinuit. Succedit ei filius natu-major Bajazethes. Auditâ autem morte Mahometis, & apparatu bellico Christianorum, Turci, qui erant Hydrunti, accepto commeatu bellico, in Græciam suam recesserunt: sed & Itali, metu liberi, ad consueta sua dissidia rediêrunt.

Mathias arma, quæ glorioſiùs conver-

tisset in Turcam, expedit in Fridericum, urbes aliquot capit, & Viennam obsidet.

Mortuus hoc anno Renatus Andium & Provinciæ Comes, Rex Siciliæ, Neapolis, & Arragoniæ nuncupatus in Ludovicum Francorum Regem jus regni Siculi transfert: & in fratrem Carolum Comitem Cænomannorum jura omnia Provinciæ: ab hujus deinde obitu, qui paulò pòst secutus est, Francis Provincia accessit.

Sæviit Pestis atrox in Francia, quâ afflati ex tectis se præcipitabant, aut in fluvium aut puteum ruebant ululantes. Neque hæc lues distinxit inter pannum & purpuram, sed nobiles & plebejos nullo discrimine extinxit.

✲(1482.)✲ In Hispania oritur bellum Granatense contra Mauros, quod integro decennio duravit, ad quod Pontifex, rogante Ferdinando, Bullam Cruciatæ & indulgentias expedivit magno commodo tum Christianorum, tum fisci Regii.

Bajazethes Aubussonio Magno-Magistro Equitum Hierosolymitanorum dono mittit manum dexteram S. Joannis Baptistæ, quæ Rhodi recepta fuit cum ingenti lætitia, & nunc visitur in sacello aulico Serenissimi Ducis & Electoris Bavariæ Monachii.

✲(1483.)✲ Ludovicus XI. Rex Franciæ

ciæ gravi & diuturno morbo implicitus, nullum Sanctorum non invocat pro valetudine recuperanda: quem in finem S. Franciscum de Paula evocavit, sed is plùs salutē animæ, quàm corporis curandam dixit. Jacobo Corterio suo Medico singulis mensibus decem aureorum millia numerari curabat, huic parebat ùt pusio pædagogo, & increpitus probrisque vexatus, hi-scere non audebat: ædes suas muniît ferreis clathris, & tempus cum vilibus homuncionibus conterebat, quæ satis innuunt, eum plùs animi, quàm corporis remediis indiguisse. Morti vicinus jussit tributis exonerari subditos, quæ ille supra modum auxerat & morituri conscientiam gravabant.

Mortuus est Plessiaci ad Turonas, natus annos 61. cùm regnâsset annos viginti duos, hærede successore post se relicto Carolo VIII. mortis nuncio æquiùs, quàm sperabatur accepto, precibus & adhortationibus S. Francisci Paulini. Fuit Princeps ferox, & versatili ingenio, in vitâ suâ malus filius, malus pater, malus maritus, malus frater, & qui Reges Francicos sui juris fecit, unde dicitur depressâ nobilitate Reges primus emancipâsse. Post ejus mortem rescissa sunt in domesticos distributa dona,

dona cum nonnullorum supplicio, quòd abusi infirmitate Regis ultrà, quàm par esset, res suas cum fisci damno promovissent.

Moritur eodem anno Ludovici nepos, Franciscus Phœbus Rex Navarræ annorum 15. Cui successit Catharina soror, nupsitque Joanni Alebreto, fremente Ferdinando: qui hanc filio suo adhuc infantulo jam pollicitus erat: nec quievit, donec fraudibus obtinuit, quod nuptiis ac jure speraverat.

Ante utrumque mortuus est Eduardus Angliæ Rex ætatis anno 52. regni 26. relictis duobus filiis Eduardo principe Walliæ, & Richardo Duce Eboracensi, sed his prævaluit paruus Richardus Gloceſtriæ Dux, causatus, fratrem suum ex adulterio genitum, eisque vitam & regnum eripuit: vi & cædibus tyrannidem, sed non diuturnam consecutus.

Lusitani Proceres contra Regem Joannem II. qui defuncto Alphonso Patri successerat, conspirantes vel capitis damnantur, vel in exilium ejiciuntur.

Nascitur hoc anno 10. Novembris Islebii in Saxonia Martinus Lutherus, Patre Joanne, & matre Margaritha tenuibus parentibus, qui cum vocaretur Lotter Lauther

ther dici voluit, demum Luther. *Bonum erat si nunquam esset natus homo ille.*

✲(1484.)✲ Obit hoc anno Sixtus IV. anno ætatis 70. Pontificatûs 14. succeſſit illi Joannes Baptiſta Cybo Genuenſis nobilis, dictus Innocentius VIII. qui ſtatim Principes Chriſtianos in concordiam revocavit, Hieronymus autem Riarius Sixtî nepos, cujus causâ miſer avunculus ſupra modum laboraverat, poſtea in urbe Foro Livio ubi tyrannidem exercebat ſeditione populari necatus, è feneſtra Palatii projectus in forum, oſtendit quàm grave immineat elato furenti nepotiſmo præcipitium.

Moritur S. Caſimirus ſecundo-genitus Caſimiri Poloniæ Regis poſt mortem miraculis clarus.

Regnum Congi in Æthiopia per Jacobum Canum nobilem Luſitanum detegitur.

✲(1485.)✲ S. Leopoldus Pius Marchio Auſtriæ in Sanctorum Album adſcribitur.

Mathias Rex Hungariæ bellum gerens contra Fridericum per Germaniam circumcurſantem execrabili fame Viennam occupat, & Auſtriam bonis legibus temperat, non tamen ſatis religioſus in Archi-Epiſcopum, quem carcere clauſit.

Hen-

Henricus Richemontiæ Comes diu a Franciſco detentus, in Angliam invitatus acceptis a Carolo VIII. auxiliis, in Walliam appulit, vicit Richardum & occidit, ductâque Eduardi filia Rex acclamatus eſt. Henricus VII. per eum ſublatæ diſcordiæ familias Lamcaſtriam & Ebrocenſem, & hic primus ſtipatores ſui corporis adhibuit, quibus Angliæ Reges jam pridem indiguêre.

Dira lues hoc anno graſſata eſt, dicta *Sudor Anglicus* antea nunquam viſa vel audita: iis tantùm ſalvis remanentibus, qui calorem & ſudorem ferre potuerunt.

Bajazethes Imperator Turcarum Stephanum Moldaviæ Principem aggreditur, ſed is in clientelam Caſimiri Regis Poloniæ ſolenni ſe juramento mox dedit, & univerſam Moldaviæ Provinciam impoſterum ſub Poloniæ Imperio futuram ſpopondit: & ſic prævaluit contra Bajazethem.

✲(1486.)✲ Fridericus Imperator filium ſuum Maximilianum facit creari Regem Romanorum ac Succeſſorem Imperii, & Aquiſgrani coronari, qui honor ex Auſtriacis primò Maximiliano obvenit, quidquid Mathias Hungariæ Rex obnixus fuerit, prohibere non potuit in eodem conventu Francofordienſi, quo Romanorum Rex

Rex electus, statuta lex est Germaniæ, unde postea natum, *Svevicum fœdus*, & *Clypeus Georgianæ societatis*. Quod qui sequerentur clypeum gestare cogerentur meliori instituto, quàm fructu.

Orto bello inter Bajazethem Turcam, & Sultanum Ægypti, quòd Sultanus Zemi Bajazethis fratri auxilia præstitisset, & uxorem ejus cum liberis recepisset, hoc anno Sultanus Duce Usune Usbego duos exercitus Bajazethis ingentibus cladibus in Cilicia profligat, quorum priori qui præerat Bassa Bajazethis gener interfectus, qui posteriori, captus est.

Ferdinandus Rex Hispaniæ prosperè pugnat contra Mauros Granatenses.

✲(1487.)✲ Damnatus est hoc anno liber 900. conclusionum Joannis Pici Mirandulæ & concordiæ Comitis ab Innocentio VIII. Hic annos natus 14. de rebus omnibus divinis & humanis disputare ausus, obtulit has conclusiones: quarum 13. inventæ sunt erroneæ, & in quibus plùs ingenium, quàm fidem propugnator ostendebat.

Detegitur à Bartholomæo Didaco nobili Lusitano promontorium Africæ admodum procellosum, quod Rex *Bonæ Spei* appellari jussit, quamvis crebris tempestatibus

tibus horreſcat. Miſſi quoque ſunt terreſtri itinere Petrus Corvilanus & Alphonſus Paxuva, quorum ille Armuzam & Calecutum inviſit, hic Æthiopiæ & Præteianis ditionem. Quorum litteris excitatus Joannes Luſitaniæ Rex, ea ſuſcepit, quæ vix ab omnibus Europæ Principibus ſuſcipienda videbantur.

Carlotta Regina Cypri Romæ moritur, ubi exul ex Penſione ſummi Pontificis vixit, cum res ſuas depoſitas videret, coram Papa & Cardinalibus renunciavit regno Cyprio in favorem Amedæi Sabaudiæ Ducis, fratris Ludovici olim conjugis ſui. Unde Sabaudus dixit ſe Regem Cypri quantumcunque Veneti reclamarent.

Laurentius Mediceus, penes quem tunc erat ſumma reipublicæ Florentinæ, Joannem Laſcarem ex Imperatoria Laſcarinorum familia oriundum, ad Bajazethem Turcarum Imper. mittit, ut conquiſitis in Græcia optimis quibuſque libris Florentinam Bibliothecam ditaret. Cui poſt Nicolaum V. Pontificem tantum debent reſtitutæ linguæ & artes, quantum ulli alteri qui viros Doctos è Græcia profugos tanquam commune aſylum invitavit & excepit: cum Romanorum avaritia eos fame contabeſcere ſineret.

1488.

✲(1488.)✲ Turci Duce Hali Baſſa novo exercitu in Cilicia Adanam civitatem oppugnantes, Sultanum Ægypti urbi auxilio advenientem vehementi prælio ſuperant.

Flandrenſes cum Maximiliano de tutela Philippi ejus filii decertantes, eum in cuſtodia detinent Brugis, tradituri Carolo VIII. Regi Galliæ, niſi ille Philippum eſſet daturus, ſed poſt aliquot menſes liberatur à Patre ſuo Friderico Imperatore, & pax inter eos conſtituitur.

Res quoque componuntur inter Fridericum & Mathiam; unde Mathias poſtea bellum tranſtulit in Sileſiam & Glocoviam occupavit.

In Gallia pugnatur inter Regium exercitum, Duce Temulio, & Ducem Aurelianenſem, eiq; adhærentes Principes, initoque acerrimo prælio ad S. Albanum in Britania 19. Auguſti victus Aurelianenſis capitur & in cuſtodia detinetur uſque ad expeditionem Regis Neapolitanam.

Genuenſes pertæſi dominationis ſui Archi-Epiſcopi Pauli Fulgoſi ſe Ludovico Sfortiæ Duci Mediolanenſi cognomento Mauro, ob fuſcum colorem ſic dicto dediderunt. Hicvicarium urbi præfecit Adornum, Paulus autem Romam fugit, vir ingenii

nii peracris, & qui meliùs nôsset tractare arma quàm, Pedum.

Jacobus III. Rex Scotiæ à suis cæditur. Cui Philippus Jacobus IV. succedit.

✲(1489.)✲ Veneti potiuntur Insulâ Cypro, quibus Catharina Regina omne jus suum cedit, & ipsa cum filiis Nothis Jacobi in oppido Asulo regiè sustentatur. Deinceps Insulâ per vicarios administrata est à Venetis, semper reclamante Sabaudo, sed melior est conditio possidentis.

Bajazethes Imperator Turcarum singulis annis 25. millia aureorum persolvit Equitibus Rhodiis, ut fratrem suum zemen, cui Turcarum procerum pars magna favebat, & Imperium committere tentabat, in certa & secura custodia tenerent, quâ occasione usus zemes Varios Christianos Principes invisit. Romæ tamen summo Pontifici pedes osculari renuit.

Poloni Tartaros Poloniæ & Russiæ Provincias depopulantes magnâ clade repellunt sub Duce Joanne Alberto quem Casimirus immisit.

Bemoinus quidem Jaloforum Princeps in Quinea expulsus à fratribus ad Lusitanos confugit, qui tunc commercia ibi exercebant, benignè hic susceptus est à Joanne Rege Lusitano, & sacris aquis ablutus, cum viginti

viginti navium classe in Patriam remissus est Duce Vasæo de Acugna : qui miserum hunc Principem pugione confodit magno damno Christianitatis

Carolus Rex Franciæ repudiatâ, quam olim desponderat, & diu nondum nubilem apud se detinuerat, Margaritâ Maximiliani filiâ Annam Britanniæ hæredem ducit, quæ per procuratorem jam fuerat Maximiliano desponsata. Et hæc causa fuit belli triennalis quod demum sopitum est recepto à Maximiliano cum filia Attrebatum Comitatu. Interea verò Britanniæ Ducatus per tale matrimonium coronæ Galliæ annexus est.

✲(1490.)✲ Mathias Corvinus Rex Hungariæ Turcarum terror appellatus apoplexiâ moritur Viennæ in Austria, 5. Aprilis, & leones qui Budæ detinebantur omnes eodem die interîêre, & nulli omnino corvi visi Budæ, Albæ autem innumeri. Suspicio est extinctum esse veneno à Beatrice uxore dato. Rex fuit sine controversia maximus, litterarum amantissimus, & simul bellicosissimus. Cum ejus regnum prensarent Albertus de Tartaris victor Joannes Corvinus Mathiæ nothus, cui pater thesauros & arces reliquerat, & Uladislaus Bohemus, hic cæteris antepositus

situs est operâ Beatricis, quæ nuptias ejus sperabat : has tamen Hungari ob hujus sterilitatem prohibuêre. Unde penè incidit in amentiam, & in Ænariam sive Ischiam Insulam secessit, in qua liberiùs quereretur.

Innocentius Papa in Ectasin soporiferam incidens horis 22. sine ullo motu arteriarum immobilis fuit, ut omnes crederent eum defunctum esse.

Hoc anno natum est in Scotia monstrum ab umbilico ad pedes unum utriusque, supra duplex geminique sensûs, & voluntatis, ac omnium quæ duos homines arguerent. Si pungeretur infra, dolebat uterque, si supra, tantùm alteruter ; Vixit annos triginta duos, magnum naturæ miraculum.

DECAS X.

Ab anno Christi 1490. ad 1500.

1491. GRanata Maurorum primaria urbs mille ac trecentis turribus præcincta complectens domorum sexaginta millia à Ferdinando quinquaginta millibus armatorum obsidetur, &ad deditionem cogitur

gitur Mauris ægerrimè urbem tam splendidè à se ornatam deferentibus.

Religio per regnum Congi à Patribus Dominicanis disseminatur Rege Emanuele cum filio suo Alphonso baptizatis, qui non ùt Reges tantùm, sed ùt Apostoli in extirpandis vitiis, & pluribus uxoribus ejiciendis collaborârunt, missis etiam in Lusitaniam nobilibus pueris Congianis, qui puram religionem ibidem imbiberent, & ad suos deferrent.

Mathiæ defuncti Regis Hungariæ vidua nubit Ladislao Regi eâ conditione, ut si liberi Ladislao non essent, regnum Hungariæ devolveretur ad Maximilianum, ejusq; descendentes.

✲(1492.)✲ Ferdinandus Hispaniæ Rex 2. Januarii ingreditur arcem Granatæ, & nunc tandem finem habuit in Hispania Maurorum Dominatus post 780 annos ab ejus factâ primâ invasione: Remanserunt quidem adhuc multi, sed absque Rege.

Eodem tempore Judæi omnes ex Hispania regio mandato proscripti, & abire compulsi, absque tamen auro, argento, & gemmis, quorum commutatione alias merces secum exportare permissum est. Pleriq; scriptores referunt, familiarum centum & quinquaginta millia abiisse, quos

quidam computant ad octingenta capitum millia: ut non immeritò Ferdinandus pr tot & tantis rebus præclarè gestis à Pont fice cognomento Catholici condecoratus fuerit.

Ejusdem quoque Regis auspiciis Chri stophorus Columbus Ligur mense Augu sto navigationem incepit ad novum Or bem detegendum, quem Occidentalem Indiam vocant, qui tribus navibus accep tis solvit à Gadibus, & Canarias prætervectus primò appulit ad Insulas die trigesimo navigationis, & maximam harum Insularum vocavit Hispaniolam, quia socii & nautæ reditum importunè in Hispaniam flagitabant: hîc arcem ligneam erexit, in qua duo de quadraginta præsidiarios reliquit, secumque revehens indigenas decem cum multo auro, quod cultellis, speculis, crotalis, vitroque redemerat, anno sequenti mense Martio in Hispaniam rediit, magnâ omnium admiratione & plausu.

Carolus Franciæ, & Ferdinandus Hispaniæ Rex pacem ac fœdus ineunt, eâ conditione, ut Ferdinandi Comitatus Rusci nonensis & Cerdaniæ injustè detentus restitueretur. Contigit eodem tempore, ut sicarius quidam Catalanus Barcinone Ferdinandum interficere attentaret, districto gla-

gladio aure jam vulneratâ, ad hoc facinus à somnio duntaxat impulsus, verùm exquisitissimis tormentis subjectus, didicit non esse tam pretiosi capitis periculo somniandum: Somniârat enim, se Regem futurum, si Regem occidisset.

Obiit Laurentius Medices anno 44. quo meliorem, prudentiorem, & litterarum amantiorem illa ætas non tulit, dicitur fuisse sui temporis phœnix ingeniorum. Illius opus fuit celeberrima Bibliotheca Florentina: successit ei, repugnante nemine, Petrus Medices filius patri simillimus, annorum 21, cui frater fuit Joannes Cardinalis, posteà Leo XI. etiam Pontificatum cohonestaturus.

Moritur Innocentius VIII. anno ætatis 60. Pontificatûs quinto. Reliquit ille liberos duos Franciscum & Theodorinam ante Pontificatum ex puella Neapolitana susceptos, quos ditavit magis, quàm boni Pontificis conscientia postulavit. Successit ei Joannes Rodericus Borgia, dictus Alexander VI. mirâ populi gratulatione, & cui parem vix unquam Roma viderat, erant enim in eo solertia, sagacitas, & diligentia, mirabiles sub initium Pontificatûs, singulari comitate conditæ, sed hæc ornamenta postea quibusdam maculis obscurata sunt.

Casimirus III. Poloniæ Rex è vivis excedit, relinquens post se filios quatuor Ladislaum Hungariæ & Bohemiæ Regem Joannem Albertum, Alexandrum, & Sigismundum, quintus filius erat Fridericus Cardinalis simul & Archi-Episcopus Gnesnensis, & Episcopus Cracovienſis. Sicque familiam genuit pluribus regnis administrandis parem.

✠(1493.)✠ Carolus VIII. Rex Franciæ, inito fœdere cum Ferdinando Hispaniæ Rege (à quo impedimentum timebat) Neapolitanam expeditionem suscipit, ut jus suum vindicaret, quod in hoc regnum à seniore Renato acceperat. Quam expeditionem in Francia nemo sanus probavit, iis tantùm impellentibus, qui in juvene Rege suis privatis emolumentis consultum volebant.

Christiani in Croatia imprudentiâ Becardini Frangipanis magnâ clade à Turcis afficiuntur.

Fridericus Imperator, cùm, enato carcinomate noxio, alterum crus ei præcisum esset, contractâ insuper diarrhæâ ex nimio melonum esu moritur Lintii anno ætatis 78. Imperii 53. In quo Imperatore omnes corporis animique dotes claruerunt: Corpus ei egregium, forma Imperatore dig-

na

na, ſerenus & tranquillus animus, prompta memoria, religionis ardens zelus, ut vulgò ejus causâ vivere diceretur. Romanæ Sedis obſervantiſſimus à Nicolao PP. (cum quo concordata Germaniæ iniît) appellatus *Filius chariſſimus & Sacri Imperii decus.* Fundator Epiſcopatuum, unius Labaci in Carniola, duorum in Auſtria, Neoſtadii & Viennæ: erexit Ordinem S. Georgii: condidit duo cœnobia Neoſtadii, Ciſtercienſium ac Eremitarum S. Pauli, unum Græcii Ordinis S. Franciſci, ibidem ſtruxit eccleſias S. Ægidii & S. Leonardi, ædem quoque Beatiſſimæ Virginis in Buech & alias plures. Oſor fuit morionum & ſuperborum: frugalis in cibo & potu, convitiorum negligens, cùm nonnulli urgerent ad vindictam: *Minimè*, inquit, *an neſcitis, Principes quaſi ſcopum expoſitos eſſe ad has ſagittas?* In rebus denique agendis tardior fuit & non abſimilis Romano Fabio, plura perfecit cunctatione, quàm alii celeritate.

Succeſſorem habuit Maximilianum I. jam coronatum Romanorum Regem annos natum 33. & ad Imperium non tantùm ætate ſed etiam virtute & rebus geſtis idoneum, qui tametſi penè elinguis fuerit ad nonum uſque ætatis annum, qui verba truncabat, potiùs quàm edebat, adultior tamen factus

non minùs expeditè quàm ornatè loquebatur, & quidem præter vernaculam Italicam, Hiſpanicam, Gallicam, & Latinam linguam: ut creditum fuerit, Maximilianum vix ſine miraculo fuiſſe vel tam diu mutum, vel poſtea tam diſertè facundum. Statura illi regia & plena majeſtate, indoles excitata ſolers, labores impertæſa; ſanitas firma, memoria tenax, ingenium ſublime & perſpicax, judicium prope divinum, amor litterarum & earundem notitia præclara, uſurpare ſolitus de inſtitutione Principum illud Æſchyli *qui fructuoſa, non qui multa ſcit, ſapit.*

Redeunte Columbo in Hiſpaniam poſt detectas quaſdam Inſulas novi orbis, Alexander VI. Pontifex dato diplomate Ferdinando ejuſque conjugi Iſabellæ Hiſpaniæ Regibus legitimam concedit illarum Provinciarũ Occidentalium poſſeſſionem, quæ eſſent centum leucis ultra Inſulas Heſperides, ad Promontorium viride jacentes, cæteris Regi Luſitano relictis, Lineâ cogitatione deſcripta per utrumque cœli cardinem, quæ hunc limitem ſecaret. Injunctum tamen Regibus, ut Præcones Evangelii in eas Provincias mittere tenerentur.

✲(1494.)✲ Mira Perturbatio in Italia, occa-

occasione mortis Ferdinandi Regis Neapolitani, qui hæredem reliquit Alphonsum II. filiũ, subditis suis nihilo gratiorem quàm pater ejus fuit in principio regiminis sui facilis, deinde moderatus, in fine crudelis, & ideo odibilis omnibus.

Carolus VIII. Franciæ Rex Neapolitanum regnum occupaturus in Italiam cum exercitu ingreditur, & quâ benignè quâ coactè ubique recipitur, pustularum autem morbo Astæ toto mense ægrotans detinetur, à quo sanatus in Franciam redire quidem cogitavit, sed id Consilium Ludovicus Sfortia discussit. Pisas ergo & Florentiam ubi pervenit, magnificè susceptus, atque armatus (à civibus ejecto priùs Petro Mediceo, quòd is addictior esset Alphonso Neapolitano) ingressus est, & inde non sine tumultibus (quos Savonarola concionator insignis ex Ordine S. Dominici compescuit) pecunias multas ad bellum accepit. Hinc Senas progressus, quas præsidio tenuit, inde Romam venit nemine resistente, etiam Pontifice. Et hanc quoque urbem Rex armatus subiit sub noctem, tot accensis luminibus, ut solis radiis ingredientes cum Rege suo non indigerent.

Obiit hoc anno Joannes Picus Mirandula & Concordiæ Comes anno ætatis 33.

Vir excellentissimi & admirabilis ingenii, unus ex Chariſſimis Laurentii Medicei.

✲(1495.)✲ Carolus Franciæ Rex Romæ Alexandrum VI. in arce Angeli obſidet, ſed datis aliquot arcibus donec bellum Neapolitanum profligaretur, reconciliatur, & recipitur in æde S. Petri, ac dicitur Rex Neapolitanus, confecto diplomate, imò ùt quidam volunt, Imperator Conſtantinopolitanus. Interim Alphonſus Rex Neapolitanus ſive ſubditis diffidens, ſive voto veteri motus regno ſe abdicans, illud Ferdinando filio relinquens feceſſit in Siciliam, vitam monaſticam acturus. Carolus autem levi prælio hoſtibus fuſis Neapolim ingreditur nullo obſiſtente, & Ferdinando in Iſchiam ſecedente, & brevì pòſt toto regno potitur: cum parvo exercitu unâ hyeme, adeò ut Pontifex jocaretur, videri eum veniſſe in Italiam, ut cum creta tantùm hoſpitia deſignaret. Franci autem in hoc regno ita vixerunt oblectationibus & ludis dediti, & tantâ incuriâ id adminiſtrabant, ut ad id diſſipandum, & non ad poſſidendum ingreſſi viderentur. Turci verò hujus expeditionis famâ tantum timoris hauſerunt, ut viſis è Macedonia Francorum ſignis, aufugerint, & Bajazethes, omiſſis aliis bellis, de

Græ-

Græcia ſervanda cogitârit. Sed multùm ſedavit hunc metum Zemis fratris ſui mors pari dolore Chriſtianorum, quàm voluptate Turcarum.

Feliciſſimis quoque Caroli progreſſibus perculſi Itali, aliique Principes ejus gloriæ æmuli, Maximilianus Imperator, Ferdinandus Rex Hiſpaniæ, Ludovicus Sfortia Dux Mediolanenſis, Veneti favente etiam Alexandro Pontifice, quia violatum Pontificem prætexebant, fœdus ineunt, ut Caroli in Galliam reditus intercluderetur, qui junctis copiis Fornovii, ſive in *Foro-Novo* non longè à Parma ad Taurum fluvium ſeſe ei oppoſuerunt. Carolus autem, cùm tranſitum negarent, per vim irrupit, nonniſi cum novem millibus ſuorum ita ferociter pugnavit, ut intra quadrantem horæ res confecta eſſet, victique Itali, majore tamen dedecore quàm clade, atque ſic perrupto tranſitu celeriter fugienti ſimilior, quàm victori, in Franciam rediit, parte exercitûs ſui Neapoli relictâ cum Duce Mompenſerio.

In hac Neapolitana expeditione primò in Europa innotuit infauſtus ille morbus, quem Itali Gallicum, & Galli Neapolitanum, Afri Hiſpanum vocant, certè morbus libidinoſorum: augeſcentibus enim ho-

minum peccatis auxit Deus quoque pœnas peccatorum. Sunt, qui putant eum ex orbe novo allatum esse: ubi ea lues plurimùm viget, sed & facilè sanatur. In Europa non item, ubi luxurioſi brevis temporis belluinam voluptatem, longissimis doloribus redimunt.

Comitiis à Maximiliano Imperatore Wormatiæ habitis, instituitur Camera Imperialis ex consilio Bartholdi Archi-Episcopi Moguntini, viri sapientissimi, quæ primò ibidem Wormatiæ stetit, deinde post aliquot annos Ratisponam, ac deinde Spiram translata est.

Joannes Rex Lusitaniæ, cognomento Magnus obit ex aquâ intercute, ætatis anno 40. regni 14. Alphonso filio ejus ex equi lapsu defuncto, successit ei Emmanuel patruelis natus anno 26. animi, & corporis dotibus ornatissimus.

✲(1496.)✲ Regresso in Galliam Carolo Rege, & Alexandro VI. magis indies in Galliam exacerbato, accedente insuper Francorũ socordiâ, Neapolitani in to fœdere contra Carolum animati deficiunt ab eo ad Ferdinandum Alphonsi filium, & mortuo Duce Monpensierio, quod reliquum fuerat Gallorum militum in patriam remittunt, deducente eos Albinio. Ferdinan-

dinandus autem non multò pòst moriens, successorem habuit Fridericum. Itaque Siciliæ regnum quàm citò a Gallis partum, tam citò iterum perditum.

Judæi pelluntur è Lusitania mandato Regis Emmanuelis. Tum enim obtinuit à Pontifice Emmanuel, ut Ordines militares præter Hospitalarios voto castitatis solverentur, quo facto in illis militaris ardor penitùs restinctus est, bona Equitum translata in aulicos multos, nec fortes, nec castos dominos invenerunt.

Æquè ac Carolus infelix in Italia fuit Maximilianus, cùm enim à Venetis & Ludovico Mediolanensi invitatus in eam irrupisset, ad Florentinos compescendos, tam exigua gessit, ut tantùm scommatis Longobardorum subjiciendus & irridendus venisse videretur.

✲(1497.)✲ Nascitur S. Franciscus Xaverius summo totius novi Orbis bono.

Franciscus Ximenius Minorita fit Archi-Episcopus Toletanus non minori Ecclesiæ Catholicæ emolumento.

Americus Vesputius Florentinus auspiciis Ferdinandi Regis Catholici partem illam novi Orbis detegit, quæ versùs Septentrionem est, America nomen ab eo accepit: anno sequenti rediit in Hispaniam.

Hoc item anno missus ab Emmanuele Rege Lusitaniæ Vascus Gama cum 170. militibus & nautis, qui superato Promontorio bonæ spei, legit Orientalem plagam Æthiopiæ, & repertis Insulis Mozambico & Melindâ, in regnum quoque Malabaricum translatus est, cujus præcipua civitas est Calecutum, ubi benignè susceptus à Zamorino hujus tractus Imperatore, vitatisque Saracenorum dolis post biennium in Lusitaniam cum navibus suis & aliquot Malabaribus rediît, & ab Emmanuele benevolè pro meritis exceptus est, utpotè qui totius Orientis ditissimam regionem detexisset.

Joannes Albertus Poloniæ Rex magno exercitu improviso impetu Walachiam ingreditur. Sed à Stephano Waiwoda fortiter repulsus ignominiosè ad sua redire compellitur, Stephanus autem sequenti anno junctis sibi Tartarorum & Turcarum copiis Poloniam ingressus, eam vastavit, abductis plùs centùm millibus captivorum cum multis gregibus & armentis.

Florentiæ magnæ turbæ concitantur, quibusdam Petrum Medicæum exoptantibus, aliis autem cum Savonarola statum popularem præferentibus Cùm ergo constitutâ horâ Medicæus non adesset, capti fautores

tores ejus ultimo ſupplicio ſunt affecti; quod cùm Savonarola impedire potuiſſet, lege agi permiſit. Hinc in eum ingens commota tempeſtas, æmulis Religioſis ferociter ex pulpitis detonantibus, & Pontifice contra Savonarolam & Florentinos multiplici anathemate fulminante, & ad pœnas virum religioſum & pium repoſcente, quem tamen amor Florentinorum extradere recuſavit.

✲(1498.)✲ Turcarum 70. millia Poloniam ad diripiendum ingreſſi, tanto mox frigore obruuntur, ut illorum quadraginta millia obriguerint, & cæteri in Moldaviam progreſſi à Stephano penitus deleti fuerint.

Carolus VIII. Rex Franciæ Ambaſiæ apud Turones cùm ad ſuperliminare portæ caput alliſiſſet, repentè apoplexia tactus concidit & exſpiravit Dominicâ Palmarum annos natus 32. cùm regnâſſet annis 14. Obiît, ùt creditur, piè, morte quaſi præviſâ, cùm paulò antè conſcientiam ſuam accuratè per pœnitentiam expiâſſet: dicitur à ſuis felicior, quàm ſapientior fuiſſe, corpore deformi, quod etiam parum caſtè traductâ adoleſcentiâ turpius reddiderat, & magis effœtum, animo tamen magnifico & liberali, &, ſi cultura acceſſiſſet, ad

magna idoneo. Succeſſorem habuit Ludovicum Ducem Aurelianenſem hujus nominis XII. & *Patrem populi* dictum, & defuncto regi cognatione proximum (filius is erat Caroli, nepos Ludovici fratris Caroli, quem Dux Burgundiæ interemerat) Hic ex jure Caroli ſibi competente, Rex etiam utriuſque Siciliæ dici voluit, atque etiam Dux Mediolanenſis, quòd à Valentina originem traheret: qui & pace cum Hiſpanis & Anglis conſtitutâ, Ducatum Mediolanenſem recuperare decrevit, tanquam ſibi debitum ex aviæ ſuæ hæreditate, unde magni tumultus exorti ſunt, Italiam & Franciam concutientes.

Poſthæc idem Ludovicus Rex, repudiatâ, ex ſententiâ judicum à Summo Pontifice delegatorum, Joannâ Ludovici XI. filiâ, quam nolens in uxorem ducere coactus fuerat, Annam Britannam Caroli VIII. viduam connubio ſibi jungit, & ſimul Armoricam Britanniam Gallico Sceptro conjungit. Joanna autem, accepto à Rege Ducatu Bituricenſi, magnâ ſanctitatis famâ vitam traduxit, felicior futura in cœlis, quàm in terris.

Hieronymus Savonarola Patria Ferrarienſis, Profeſſione Dominicanus, Celeberrimus Florentiæ concionator, quòd reſumpto

pto concionandi munere contra Pontificis prohibitionem, temerè potiùs, quam liberè sæpe in eundem Pontificem Alexandrum esset invectus (quamvis in materia luculenta, non tamen piè) ideo fulmine Apostolico tum is, tum Florentini feriuntur, qui cum Alexandro indigerent ad Pisas recipiendas, & aliunde à Ludovico Duce Mediolanensi ad perdendum Hieronymum instigarentur, isq; in urbe jam aliquid auctoritatis perdidisset, ex contentione utriusque Ordinis Dominicanorum & Minoritarum, à Magistratu Florentino cum duobus sociis datus in carcerem, atrociter tortus, ac demum vivus publicè in urbis foro combustus est: vir magnus & magnæ in Ecclesia utilitatis: De cujus supplicii æquitate non erit facilè judicium suum interponere, qui constanter accusatus est à multis, & à multis fortiter defensus. Qui de Savonarola aliquid statuet, pariter de viris magnis & potentibus statuere ausus erit.

✲(1499.)✲ Ludovicus XII. à Venetis sollicitatus misso in Italiam exercitu moxque ipse adveniens, Mediolano totoque Ducatu potitur: fugiente primùm Ludovico Mauro Sfortia Duce in Germaniam, deinde Turcas in auxilium evocante adversùs Venetos. Bajazethes igitur hac occasione

casione usus invadit Peloponesum, & Neupactum Venetis eripit.

Maximilianus Imperator bellum gerit in Helvetios, quòd illi fœdus cum Austriis & Svevis inire nollent, & aliquoties cum iis congressus, semper infeliciMarte repulsus est, donec pacem iniret.

Ismaël Sophi magni Ussumcassani ex filia nepos, filius verò Harduelis quem Rustanus Rex Persarum necaverat, hoc anno Regnum Persicum restaurat, & novam Alcorani sectam instituit Turcis infensissimam : & odium adversùs Turcas posteris suis hæreditarium reliquit. Quo si bene usi essent Christiani, Mahometis religio ad minimum concidisset : Variant scriptores in nomine *Sophi*, alii desumunt illud à magis sive sapientibus Persarum, alii adstruunt *Sophi* Arabicè lanam significare, quâ Reges Persarum utebantur in capite, eoque rubro; unde *Tekelles* patris Harduelis discipulus dictus fuit *Kasethas*, quòd tegimine capitis rubro uteretur, quale Turca album, Tartarus viride idque ex lino, Persarum autem Sophi ex lana gestant.

✲(1500.)✲ Ludovicus Maurus Sfortia ex Germania cum copiis auxiliaribus revertitur in Italiam, & primò Comum, deinde Mediolanum recipit, præter arcem

à Fran-

à Francis ſervatam. Similiter expugnavit Novariam, arce à Francis ſervatâ, ſed adfuit illicò à Ludovico Rege miſſus Trimolius, & Ambaſianus cum copiis Helvetiorum, qui cum reliquo exercitu in Italia adhuc morante Novariam, qua ſe Sfortia incluſerat, obſidere & cum ſuorum aliquot effugere parantem ſub Helvetica veſte deprehenſum in Galliam duxerunt, ubi in carcere Loſpienſi decennio vitam & crimina finiît. Sed & Veneti Fratrem ejus Aſcanium Cardinalem Francis tradiderunt, qui eum turri Bituricenſi incluſerunt : cui tamen Cardinalis Ambacienſis tandem libertatem apud Regem exoravit. Sfortiæ duo filii apud Imperatorem in Germania diu exules & inopes erraverunt : rebelles autem obtentâ veniâ graviore tributo onerati ſunt.

Fuit hic annus valde periculoſus Alexandro VI. camino enim in triclinium per turbinem deturbato confractum tabulatum duos ad Pontificis pedes eliſit, & tertium graviter vulneravit, & Pontifex inter rudera caput & manus graviter ſauciatus inventus eſt. Quare ſanatus conſtitutionem Calliſti III. renovavit de ſalutatione B. M. V. per campanam in meridie ſignificandâ.

Judæus

Judæus quidam in Germania nomine Lemlem se Messiam esse, quem Judæi expectarent, prædicat, & magnam Judæorum multitudinem ad se pertractam, fraudibus suis illudit.

Rutheni quòd ab Alexandro Lithuaniæ Duce ad Romanam Ecclesiam cogerentur, ad Moschorum Imperatorem schismatis sui protectorem deficiunt.

Alvarus Capralis jussu Emmanuelis Lusitani cum tredecim Orientalium armatis navibus expeditionem novam in Indiam suscipit. Cum quo octo Franciscani zelo animarum incensi iter longinquum susceperunt, ad Christi negotia cum Lusitanicis promovenda. Solvens classis variis agitata tempestatibus ad terram provecta est quam Lusitani, erecto Christi victorioso signo *Sanctæ Crucis* appellaverunt, quæ postmodum Brasilia nominata est. Inde repetitâ navigatione post septem naves absorptas, cum solis sex in Indiam appulerunt: benignè susceptì insidiis fœdus cum Regibus Cochini & Cananoris pepigerunt, & utrobique onustis navibus diversis aromatis, iterumque aliquot navibus in reditu amissis anno sequenti Olysipponem subjecerunt, magno gaudio & gloriâ Regis Emmanuelis.

Magnam

Magnam quoque Lætitiam attulit hic annus Jubilæus & Biſſextilis in feſto S. Mathiæ Apoſtoli die XXIV. Februarij tertiâ ſub noctem horâ Gandavi nobili Belgarum urbe natus in lucem Carolus V. Patre Philippo Hiſpaniæ, & Belgarum Principe Auſtriæ Archi-Duce Maximiliani Imperatoris filio, & matre Joannâ Ferdinandi Hiſpanorum Regis atque Iſabellæ filiâ, qui novum Sæculum auſpicatus, novum exemplum præfuit non minus optimi quàm maximi ſimul Principis,& in quo futura ſæcula habeant, quod invideant, & vix habeant quod aſſequantur. Cujus res geſtæ copioſiſſimâ luce ſequens Sæculum, anni futuri xenium, & partem ultimam Jubilæi Sæcularis quatripartiti illuſtrabunt.

FINIS PARTIS TERTIÆ.



IN-

INDEX.

A.

Abissini 128
Actus Sorbonicus magnus 275
Acunus nobilis Lusitanus gestans cornua in pileo 323
Adalbertus Archi-Episcopus Moguntinus 83
Adeodatus filius Ludovici Regis Galliæ 120
Adolphus Nassovius Rex Roman: 243. 248
Æneas Sylvius 426
Æra Hispanica abolita 310
Æthnæ incendium 281
Albertus Imperator 248. 263
Albertus Archi-Dux Austriæ 405. 413
Albicus Pragensis Episc. turpiter avarus 382
Albigensium hæresis 130. 166
Alexander Papa sub habitu coqui fugitivus. 107
Alexander IV. Pontifex 207
Alexander VI. Papa 483. 488. 497
Alexius Comnenus 81. 150. 154
Almarici hæresis 162
Alphonsus Portugalliæ Rex 129
Alphonsus Peresius Gusmannus Dux fortissimus 245
Alphonsus Arragon. Rex occupat Siciliam. 423
Amedæus Sabaudiæ Dux 322

S. Am-

Amedæus Dux Equitum Rhodiorum. 1
S. Ambrosius protector Mediolani. 2
Americus detegit Americam 4
Amurathes Turcarum potentiam extendit. 3
3
Amurathes II. à Triballo occisus. 3
Andreas Rex Hungariæ 4
Andreas Rex Neapolis 30
Andronicus Imper. Græc. 139.142.273.2
280.282.2
Angli grassatores puniti 3
Aquâ miscenda vino in Sacrificio Missæ. 14
Armacani hæresis 3
Arbor miraculosa 1
Arnoldus hæreticus 98. 11
Arnoldistæ 10
Arnulphus Episcopus Hierosolym. 8
Assasini sicarii unde dicti 15
Avaritia memorabilis 3
Avaritia per mures prodigiosè punita 20
Aurelianensis puella 400.40
Auria Dux Genuensium 3
Austria facta Habspurgicorum. 23

B.

BAba pseudo-propheta 1
Bajazethes Turcarum Princeps. 354.356.3
Balduinus I. Rex Jerosolymæ. 7
Saracenos vincit 77.7
Baldui

Balduinus Bungo dictus 86. 88. 89.
Balduinus Flander Constantinop. Imp. 160. 163
Balduinus Tolosanus perfidè necatur 169
Balves Cardinalis multarum causa discordiarum 453
Bambergensis Ecclesiæ dedicatio 11
Bamberga quondam tributaria Pontifici. 15
Baptismi Christiani efficacia 104
Barlaam & Acundynus hæretici 297
Baronii Cardinalis obitus 153
Bartholomæus Janovezius hæreticus 318
Basilius Bongomilorum hæreticorum antesignanus 100
Belgradum à Turcis obsidetur & liberatur. 439
Bella ferè continua inter Francos & Anglos. 293 294. 300. 304. 349. 387.
Bendachar ferox in Christianos. 215. 224. 226
Benedictus VII. Papa ab Anti-Papa Gregorio pulsus. 11. Vincit Saracenos, & saccum castaneis simul ac minis plenum ab eorum Principe accipit. 13
Benedictus IX. ferè adhuc puer electus Papa 22
exagitatur à Romanis. 32
moritur & apparet. 40
Benedictus XI. pauperem matrem honorat. 260
Benedictus XII. definit beatitudinem animarum ante diem judicii 293
Benedictus Antipapa 368
deponitur 385. 396.

Beguardi hæretici 26
Berengarius Sacramentariorum anteſignanus 6. 24
Bernabos venationi addictiſſimus. 329. 348
S. Bernardus 104
Bertholdus de Borbach hæreticus 318
Bladus Waiwoda crudelis 441
Blanca Regina Galliæ 180
Bohemi calicis tenaciſſimi 381
Bohemiæ Rex inter Electores numeratur 138
Bongomili hæretici 100
Bonifacius VIII. aliis VI.
cum Philippo Galliæ Rege contendit 254
reus agitur Pariſiis 257
dirè tractatur à Francis 259. 266
Bonifacius IX. contra Antipapam Clementem electus 351. 368
Bononatus hæreticus 297
Bugares ſeu Patareni hæretici 188
Bulgarus Juris-Peritus veritatis tenax & juſtitiæ 114
Bulla Aurea 314
Burdinus Antipapa 80. 84. 87. 88.

C.

CAdalous Antipapa 45
Cadavera humana excoqui in vino ſolita. 218
id prohibitum à Bonifacio VIII 250
Cæleſtinus III. 148. 151

Cælestinus V. 244.
Calistus II. 440
Calipha successor Mahometis captus à Tartaris & fame necatus 105
Calo Joannes Bulgarorum Rex 161. 163
Calo Joannes Græcorum Imperator 324
venit Romam 325
Camera Imperialis Spiræ instituta 490
Canum docilitas & solertia 362. fidelitas 286
Canutus Rex Angliæ 13
Cardinalium zelus pro terra sancta 144
Capistranus Minorita 437.
Carolus Andegavensis Rex Siciliæ 214. 234
Carolus Claudus Siciliæ Rex 239. 259
Carolus Valesius 283
Carolus Rex Hungariæ 289
Carolus IV. Imper. Rom. 308. 313. 324. 340
Carolus V. Rex Franciæ 341
Carolus Dyrrhachinus Siciliæ & Hungariæ Rex 342. 343. 347. 348
Carolus Rex Navarræ combustus perit 350
Carolus Rex Franciæ inter ludos ferè comburitur 357. incidit in amentiam 358
Carolus Burgundus à Gallis cæsus 465
Caroli VIII. Rex Franciæ occupat Neapolim 487. 488. 489. 493
Carolus V. Imp. Rom. nascitur. 499
Carthusianorum Ordo. 62

Casimirus Rex Poloniæ Monachus 24.3
Cassanus Cham Tartarorum Christianus 25
Castriottus Epiri Princeps. 396.432.449.41
Catalana societas 23
Cerularii Constantinop. Patriarchæ hæresis 3
ejus superbia 4
Chirothecæ veneno dolosè illitæ 5
Christianorum socordiâ & discordiâ crescunt ru
Saracenorum 77.286.330
Christiani à Saracenorum insidiis Angelicâ cu-
stodiâ liberantur 103
Cingari unde dicti & orti 389
Cinici hæretici 329
Cintius seu Quintius Romæ Præfectus in Pontif-
icem crudelis 54
Cestercienſium Ordo 71
S. Clara 205
Clemens IV. Papa 214
Clemens V. Papa Sedem transfert Avenionem
261. 274
Clemens VI. 30
Clementinæ constitutiones jubentur in scholis ex-
plicari. 178
Clemens Antipapa 331.357.359.
Cluniacenſes Monachi dirè à Turcis habiti 83
Cœnobium in quo mulier Abbatissa viris præ-
85
S. Colomanni martyrium 12
Columbus detegit novum orbem 482.486

Concilium Lateranense 89. 170. 129
Pisanum pro tollendo schismate 379
Constantiense contra schisma 384.387.390
Basileense 402.406. 408
Ferrariense & conciliabulum Basileense 410
Florentinum 415. Viennense in Gallia. 268
Concordantiæ Biblicæ primò vulgatæ 192
Condormientium hæresis 185
Confessio publica 13
Confessionis sigillum miraculo probatum 67
Congi regnum ad Christum convertitur 481
Conspiratio Siculorum contra Gallos 231
Conradinus Dux Sveviæ & Fridericus Dux Austriæ pro Siciliæ regno pugnant, capiuntur, & plectuntur capite 216.217
Conradus Dux Wormat. factus Imperator. 17
honorat Pontificem 18
Conradi Regis coronatio portentis cœlitùs terretur. 27
Conradus Imperator ducit exercitum in terram sanctam 109
Conradus Imperator moritur impœnitens & cadaver ejus incendio absumitur in die exequiarum 206
Constantinus Monomachus ex monasterio ad Imperium evectus 32
Constantinopolis à Latinis occupata 160
ab Alexio iterum Latinis erepta 211. capta à Turcis 433.

INDEX.

Corona aurea à Summo Pontifice dono missa Rudolpho Imperatori 58
Corterii seu Coterelli hæretici 138. 141
Corvinus filius Hunniadis ex carcere ascendit ad solium Hungariæ 440
Credentes hæretici 204
Crucis osores puniti divinitùs 121
Crux aurea super pileum Ducalem Venetorum 319
Crux prodigiosa immobilis 327
S. Cunegundis conjux & virgo fit monialis 17
Cyprus Insula à Venetis occupatur 478

D.

Damiata urbs fortissima Saracenis erepta à Christianis 178
Iterum turpiter amittitur 171
recipitur à S. Ludovico 199
Dandulus Venetus supplex apud Clementem pro absolutione Venetorum ab excommunicatione 267
Danorum crudelitas in Anglos 11
Delphinatus primogeniti Galliæ 303
Demetrius filius Palæologi variâ fortunâ exagitatus 447
Desiderii Longobardi hæresis 203
Disciplinarum sive flagellorum primus usus introductus 42
S. Dominicus 124

Ducas Alexius tyrannus Græcorum 160
Dulcini & Dulciniſtarum hæreſis 271
Durandus de Waldach hæreticus 100

E.

Ecclesiarum profanatio 21 (141
Ecclesiasticorum bonorum direptores puniti
Eduardus Rex Angliæ capit Regem Galliæ 314. 316. 318. 320
Eliſabeth Luſitaniæ Regina 279
Elzearius virginitatis cuſtos 281
Epiſcopi à Regibus honorandi 5
Emmanuel Imperator Orientis poſcit auxilia ab Eccleſiâ Occidentali 367
Epiſcopi Catholici Mauros defendunt 11
Equites S. Joannis Hieroſolym. 84
Equitum Livonienſium Ordo 163
Equitum S. Mariæ Glorioſæ Ordo 185
Euchariſtia dignè ſumenda 6
Euchariſticum miraculum 129. 213. 240
Eugenius IV. Papa 402. 423. 427.
Eudo ſive Eon de ſtella hæreticus 109
Eudocia Græcorum Imperatrix aſtu obtinet Imperium & Patriarchæ illudit 49
Excommunicationum fulmina metuenda 68. 125. 464
Expeditiones in terram ſanctam 69. 76. 104. 145. 166. 217. 218. 303
Ezelinus turbator & tyrannus Italiæ 188 190. 204. 208

INDEX.

F.

FActio boni publici in Francia contra Regem 449
Fames & latrocinia horribilia 53
Felix Antipapa 427
Ferdinandus Castellæ Rex ab occisis ad tribunal Dei citatus & mortuus 273
Festum Visitationis B. M. V. 351. 421
Flagellantes hæretici 252
S. Franciscus Assisias 139
Franciscani pro sua paupertate zelosi 278
Franciscanorum capitulum Storearum 174
Franci unâ horâ è Sicilia expulsi 231.232
Fratricellorum hæresis 299
Frigus memorabile 305
Fridericus Imperator insurgit contra Pontificem 112 114.119.128.
bellum gerit contra Sultanum Turcarum 147
Imperio privatur 121
suffocatur in flumine inter balneandum ibid.
terra sancta
Fridericus III. Rex Romanorum promittit bellum sacrum 175. sed non servat 176
insurgit contra Pontificem ibid.
ingratus est socero suo 178
decipit Ecclesiam 180
in terra sancta nocet Christianis 181.183.
184. 189. 197. moritur miserè 201.

Fridericus Archi-Dux Austriæ occumbit in prælio 197
Fridericus Archi-Dux Austriæ cum Conradino Duce Sueviæ capite plectitur 217
Fridericus Archi-Dux Austriæ cum Ludovico Bavaro contendit pro Imperio. 243.276.281
Fridericus Imperator Rom. 422. 432. 484.
Fulco Rex Hierosolymorum 102
Fulbertus Episcopus & Berengarii magister, & monitor ac vates futuræ hæresis 81

G.

GAbrinius Romæ tyrannus 307. 313
Galeatius emit Ducatum Mediolani 358
Gallicus morbus 489
Gelasius II. Papa malè à Cintio tractatur 86
S. Georgius pro Christianis visus in bello sancto pugnare 147.
Gerardus Sagarellus hæreticus 246
Gilberti Porretani hæresis 107
Godefridus Bullionius terram sanctam occupat 70.72.73.
Granata à Ferdinando Mauris eripitur 480
Græcorum Imperator pro reuniendo Imperio Occidentali pecuniam offert 124
Gratianus medetur prudenter schismati Ecclesiæ 32
Gregorius VI. Papa idem qui Gratianus 32

Gregorius VII. Papa à Cintio exagitatur Roma 54. item ab Henrico Rege Romanorum 59 moritur 61
Gregorius IX. Papa 183. 193
Gregorius X. 221
Gregorius XI. 326. 327. 331. 339.
Gregorius XII. 371. renunciat Papatui 385
Grönlandia detecta 354
Gvalbertus inimico vitam condonat in Christi patientis honorem 46
Guelphorum & Gibellinorum factio in Italia 181
Guibertus Antipapa simoniacus 36
Guido musicus insignis & musicæ promotor 16
Guido nepos Montfortii castissimus 238
Guilbertus ab Henrico in sedem Pontificiam intrusus 59. 65. 72
Guilbertus hæreticus 78
Guilielmus Dux Aquitaniæ 96
Guilielmus Rex Siciliæ 129
Guilielmus de Sancto Amore hæreticus 203
Guilielmus Rex Romanorum 208

H.

HAdrianus Papa 114
Helveticum fœdus 263
Helvetorum fortitudo & simplicitas 468
Henricus I. cognomento Claudus Rex Germaniæ malè ab Italis acceptus 6
S. Henrico Imperium prænunciatur 8. in conjugio servat virginitatem 17.

Henricus III. Imperio deponitur 56. *furit in Pontificem* 58. *ſchiſmata excitat* 59. *Romam invadit* 61. *turbat Eccleſiam.* 64 *criminibus variis ſe commaculat* 66, *Moritur* 79
Henricus IV. Imp. Rom. inſurgit contra Pontificem 81. *crudelis in Siculos* 150. *cogit Græcos ad tributum* 151
Henricus Angliæ Rex 117. 118. 121. 126. *Ejuſdem filii inſignis pœnitentia* 140
Henricus Flandriæ Comes Imper. Conſtantinopolitanus 164
Henricus Rex Caſtellæ tegulâ obrutus 172
Henricus filius Friderici 187. *dictus Hencius* 200
Henricus VII. Imper. 273
Henricus Rex Angliæ gladio cæſus ab Anglis 455
Heribertus hæreticus 14
Heribertus Archi-Epiſcopus Colonienſis 15
Hermannus hæreticus & auctor Fraticellorum 229
Hermannus Ruiſſuig hæreticus 419
Hieroſolyma capta à Saracenis 195
Hildebrandus Simoniacum miraculosè corrigit 39. *fit Pontifex ex præſagio* 53. 56
Hiſpalis Mauris erepta 199
Hiſpaniæ Reges cur dicti Catholici 482
Honorius II. Pontifex 80
Honorius III. Papa. 171. 130
Honorius IV. Pontifex 387

Hoſpi-

Hoſpitalarii voto caſtitatis ſoluti 491
S. Hugo à Regibus ad ſepulchrum delatus 155
Hungariæ corona ablata & reſtituta 446
Hungari Pontifici rebelles 255
Hunniades 424. 428. Hunniadis filii 430
Huſs anteſignanus Huſſitarum 374. 375. 398 403
Hydruntum capitur à Turcis 468

I.

Jacobellus hæreticus 379
Jacobus Juſtus hæreticus 297
Jacobus I. Rex Scotiæ à ſuis nefariè occiſus 408
Jacobus Rex Arragonum contra Mauros triumphat 189 226
Jeſuatorum Ordo 323
Imaginum B. M. Virginis cultus 291
Inimicis ignoſcere proprium Chriſtianorum eſt 51
Innocentia matris ab Hugone infante detecta 3
Innocentius Papa à Rogerio Siculo captus 97
Innocentius IV. Papa 194. 206
Innocentius V. 124
Innocentius VII. Papa 369. 370
Innocentii VIII. admirabilis ecſtaſis 480. 483
Joachimi Abbatis hæreſis 155
Joanna Regina Neapolis 311. 340. 343
Joannes XX ex Laico factus Papa 17
Joannes de Struma 129
Joannes Angliæ Rex diripit Eccleſias 167
Joannes Ducas Imp. Græc. 177. 207

Joannes Papa XXI. 226
Joannes XXII. Papa 276. dubitat de animarum beatitudine ante judicii diem 273
Joannes Rex Franciæ capitur ab Anglis 314 318. 320
Joannes XXIII. Papa 380. 381. deponitur 385
Isacius Angelus impedit bellum sacrum 147
Ischia Insula accensa 256
Judæi nequiter agunt cum Saracenis de Christi sepulchro euertendo 9. totâ Galliâ ejiciuntur 245. similiter ex Hispania 481
Judicii extremi dies falsò prædicitur 1
Juristæ sæpe venales, & jura 113
Jus Canonicum & Civile 186

K.

KNutus Angliæ & Daniæ Rex. 13
emit brachium S. Augustini. 18
martyrio afficitur. 59

L.

LAdislaus Rex Neapolis Romæ infestus 383 384
Laniones Bononiæ occupant tyrannidem 382
Lapis admirabilis cœlo delapsus 186
Lauretana domus 242. 245
Leo IX. Papa captus à Normannis 37
Leo Armeniæ Rex apud Christianos exulans & liberaliter tractatus 345. 357
Leopoldus Austriæ Dux 148. 150

Leopol-

Leopoldus Austriacus ab Helvetis occisus 349
Leuthericus fautor Berengariorum 6. 25
Lisoius hæreticus 14
Lolahrdorum hæresis 298
Lotharii Regis in Pontificem reverentia 93. 96
Ludi sylvestres fatales 357
Ludovicus Crassus Galliæ Rex contra Henricum pugnat & superat 91. 95
Ludovicus movet cum exercitu in terram Sanctam 109
Ludovicus Sanctus 171. 179. 197. 188. *captus à Saracenis* 186. 201. 218
Ludovicus Bavarus cum Philippo Pulchro *pro Imperio Romano contendit* 276. 281. 287. *opponit se Pontifici* 282. 293, 294. 397.
Ludovicus Hungariæ Rex 308
Ludovicus Andegavensis pro regno Siciliæ contendit cum Dyrrachino 344. 345. 363
Ludovicus Dux Bavariæ proficiscitur cum exercitu in terram Sanctam 398. *Unde dictus Barbatus* ibidem
Ludovicus XI. Rex Galliæ Liberalissimus in suum medicum metu mortis 471
Lutherus nascitur 472

M.

Mahometes primus Turcarum Imperator 469
Madera Insula detecta 393
Manfredus Conradi nothus 206. 215
Manuel Imper Orientis offert pecuniam summo Pon-

Pontifici pro recuperando Imperio Occidentali 118
Manuelis Græcor. Imp. odium in Latinos 109
Marianus ærarii Præfectus injustè condemnatus & post mortem honori restitutus 283
Maronitæ ad fidem Catholicam aggregati 139
Martinus & Bulgarus Juristæ insignes 113
Martinus II. Papa 232
Martinus V. 388. 390. 392
Marullæ puellæ egregium facinus patris sui cædem vindicantis 460
S. Mathildis Comitissa benefica in sedem Romanam 83
Mathias Corvinus Hungariæ Rex è carcere ad solium evocatus 452. 479
Mauri ab Hispanis miraculosè victi 192
Arragoniâ ejecti 267. iterum victi 295. expelluntur Algezirâ 302. desinit penitùs illorum dominatus in Hispania 481
Maximiliani Friderici Imperatoris filius cum Mariâ Burgundâ nuptias celebrat 467
Rex Roman. coronatur 474
Medici liberale stipendium 471
Mediceus fautor Litterarum egregius 476. 483
Mergoli Genuensis insigne facinus 343
Michaël Comnenus sævus in Latinos 166
Michaël Palæologus 210. 213
Miecislaus à muribus in pœnam avaritiæ devoratus 190

Moguntini expellunt Judæos 2[illegible]
Moniales pro pudicitia ab hostibus servanda nasos sibi præscindentes 216
Moschovitarum hæresis 4[illegible]
Monstrosus homo duplex 4[illegible]
Montfortius Angliæ turbator 214
Mures prodigiosi 190
Muris Pontici Ordo 450

N.

Nicolaus II. Papa libertatis Pontificiæ assertor contra tyrannos Italiæ 44
Nicolaitarum hæresis 71
Nicolaus III. Papa 23[illegible]
Nicolaus IV. 24[illegible]
Nicolaus V. 4[illegible]
S. Norbertus 9[illegible]
Normannorum quadraginta nobilium insigne facinus [illegible]

O.

Ochamus Minorita 209. 28[illegible]
Octavianus dictus Victor pseudo-papa 115
S. Odilo in pauperes liberalis 7
Officium in honorem B. Mariæ V. 42
Ordo S. Mariæ de mercede captivorum. 173
Ordo velleris aurei 40[illegible]
Orebitæ hæretici 39[illegible]
Orchanes Turcarum tyrannus 286. 290. 29[illegible]
Orphani hæretici 39[illegible]

Otto

Otto Imperator bellis exagitatur propter crimina 2. moritur 3
Otto Rex Rom. & Philippus pro Imperio contendunt. 155. 164. fit perjurus & excommunicatur 167. bello superatur 170. 173
Ottocharus Bohemiæ Rex bello ab Imperatore Rudolpho appetitur 225. humiliatur coram Rudolpho 227
Ottomannici Imperii initia 251

P.

PAlæologorum familia in Oriente extinguitur. 443
Palmerius hæreticus 432
Pandulphus ob vexata monasteria punitur 28
Parisini rebellant contra Philippum Regem 262 similiter capto suo Rege Joanne turbas movent. 315
Parma ope B. Mariæ V. contra Fridericum Imperatorem protegitur 198
Partus simultaneus prodigiosus 365. puerorum. 208
Paschalis II. nimis indulget Henrico turbatori Ecclesiæ 82
Pastorelli in Gallia 202
Patareni seu Bugares hæretici 188
Paulus II. Papa 448. 456.
Pauperes de Lugduno hæretici 135
Periscelidis Ordo 331

Petrus Abailardus hæreticus 9[illegible]
Petrus Andisiodorensis Imper. Constantinop. 17[illegible]
Petro-Brussiani hæretici 207
Petrus Corbarius pseudo-pontifex 288. 2[illegible]9
Petrus de Cugneriis hæreticus 2[illegible]1
Petrus Castellæ Rex 225. 32[illegible].
Petrus Rex Cypri 318. 319. 32[illegible].
Petrus Damiani 45. 5[illegible]
Petrus Dresensis hæreticus 379
Petro-Joannitarum errores 15[illegible]
Petrus Leonis Antipapa 93. 9[illegible]
Petrus de Luna 3[illegible]
Petrus Lombardus 11[illegible]
Pestis atrox 7. 309. 47[illegible]
Philes Palæologus Imperator Orientis 17[illegible]
Philippus Rex Franciæ 148. 158. 17[illegible]
Philippus Imperator 155. 164. 16[illegible]
Philippus Audax Franciæ Rex 11[illegible]
contendit cum Pontifice Bonifacio 25[illegible]
movet in Flandros 25[illegible]
Philippus Pulcher Rex Galliæ 27[illegible]
Philippus Valesius 288. 29[illegible]
Philippus Dux Burgundiæ pauperrimus moritur 309
Picardi hæretici 39[illegible]
Picus Mirandulanus 475. 48[illegible]
Pius II. Papa 441. 447.
Plessianus accusator Pontificis Bonifacii VIII. Parisiis 257

Politici hæretici 103
Polonia Sedi Apostolicæ tributaria 31. 33.
Poliacus Theologus Parisiensis hæresis damnatus 280. 298
Podebrachius Rex Bohemiæ 441. 451. 455
Pomum aureum à Benedicto oblatum Sancto Henrico 13
Pons Avenionensis miraculosè structus 128
Præda dives & memorabilis 29
Prodigia varia malorum nuncia 319
Proditoris cujusdam dignum à Turcis supplicium redditum 454
Promontorium bonæ spei detectum 475
Pseudo-Apostolici hæretici 108
Ptolemais à Turcis capta. 241
Pudicitia à duodecim nobilibus juvenibus Polonis generoso facinore conservata. 425
Pueri conglobati expeditionem ad terram sanctam mirabili instinctu adornant tanquam recuperaturi sepulchrum Christi 169

R.

RAimundus Lullus hæreticus 211
Raphaël Patriarcha Constantinopolitanus sceleratus & simoniacus 460 (211
Reinerius eremita auctor publicæ flagellationis
Renatus Rex Siciliæ 414
Reliquiæ Sanctorum fraudulenter à scelerato quodam mangone finguntur 19

Reordinantium hæresis 38
Rhodus Insula ab Hospitalariis occupata 205
à Turcis fortiter obsessa & fortiùs propugnata 418
Richardus bonorum Ecclesiasticorum dissipator divinitùs correptus 141
Richardus Rex Angliæ 146. 154
Richardi Armacani hæresis 316
Richardus & Alphonsus de Imperio Romano disceptantes 209
Robertus Sorbonæ fundator Parisiis 205
Robertus Rex Galliæ reverens in Episcopos 5
Robertus Rex Siciliæ 264. 301
S. Rochus 385
Rogerius Siciliæ Rex 97. 110
Rogerius de mortuo mari adulter Isabellæ Reginæ Angliæ, Eduardum Regem crudeliter & occultâ nece è medio tollit, ac varias turbas in Anglia movet. 284. ejus pœna & mors 290
Rolandus 290
Romanus Oeconomus insignis 187
Romæus Imperat: Orientis à Zoa veneno sublatus 23
Romanus Diogenes Constantinopolitanus Imper. à Turcis capitur 51. miserè moritur. ibid.
S. Romualdus martyrii cupidus divinitùs retinetur 9
Roscesana hæreticus 389
Rudolphus Comes Habspurgicus erga SS. Eucharistiæ

ristiæ Sacramentum devotus 203
eligitur Imperator 220
Rupertus Rex Romanorum 380
Ruthenorum hæresis 431

S.

Saladinus Hierosolymam capit & sanctam Crucem. 130. 143
Salve Regina *hymnus in honorem B. Mariæ Virginis introductus in Ecclesiam* 191
Salutatio Angelica 497
Savonarola concionator Florentinus 494
Sanctius Castellanus impius in patrem 233
Scanderbegus 396. 432. 449. 451
Schisma inter Pontifices 45. 339. 357. 373
Scoti de Anglis triumphant 275
eximunt se ab Anglis 285
Siculi cujusdam facinus memorabile contra Turcas 457
Sigismundus Hungariæ Rex magnâ strage afficitur à Bajazethe 359. *recuperat Hungariæ regnum* 367. *fit Imperator* 380. 399. *periclitatur vitâ cum Pontifice* 383. 409
Simoniaci hæretici 38
Simoniacus Episcopus miraculosè punitus 39
Simon Montfortius invadit Albigenses. 168 169. 173
Simon Vognosius Dux Genuensium æquissimus 306

Siren sive mulier marina admirabilis 368
Societas Catalanica 256
Somnium alicujus fanatici Ferdinando Hispaniæ Regi periculosum 483
Sophi apud Persas unde dicti 496
Sorbona Parisiensis 205
Stadingenses hæretici 187
Stanislaus Episcopus Cracovienſis martyrio afficitur 57
S. Stephanus Rex Hungariæ 21
Stephanus Rex Bosniæ à Turcis excoriatus. 448
Stephanus Moldaviæ Waiwoda Turcas cædit 461. 463. 474.
Sulemannus Princeps Turcarum 313
Sultanus cum Christianis pugnat. 147
Supplicium atrox Regicidæ 408
Supplicatio puerorum Parisiis solennis 430

T.

TAmerlanes Tartarorum Rex 353
Bajazethem ferreâ caveâ includit. 360. 567
Tartari 159. 168. 179. 193. 210
Templarii 94
Ordo eorum extinguitur. 265. 272
Terræ motus horrificus 122
Thaboritæ hæretici 393. 403
Theodorus Lascaris Imp. Græcorum 161
Thomas Cantuariensis 116. 117. 120. 123
ejus cædes punitur 126

Tribullus Amurathen, victus suum victorem occidit 352
Tristanus filius S. Ludovici 201
Tongeinus & Bruisius hæretici à S. Norberto oppugnati 94
Turcæ invalescunt 35. 231. *obsident Hierosolymam* 82
Turelupinorum hæresis 329
Turcarum & Persarum memorabilis pugna 458

V.

VAlesiorum familia in Gallia 288
Vascus Gama detegit Mozampicum 492
Vellus aureum 402
Venandi ingens libido 329
Veneti interdicto subditi petunt absolvi 267
Venetorum taciturnitas & æquitas 404
Vesperæ Siculæ 233
Victor II. Papa per miraculum servatur à veneno in Sacrificio missæ oblato 41
Victor Anti-Papa 116
Victoria memorabilis Christianorum contra Saracenos 168
Vincentius Ferrerius 383
Urbanus Papa 144
Urbanus IV. 213
Urbanus V. Papa 320. *Avenione Sedem iterum transfert Romam* 322. 326
Urbanus VI. 339. 346. 350. 383
Uvo invasor & tyrannus Hungariæ. 31

W.

W.

Waldenſes hæretici 135
Wenceslaus Rex Bohemiæ generoſo auſu à Friderico libertatem extorquet 188
occiditur 262
Wenceslaus Caroli IV. Imperatoris filius 331
ejus vitia & peſſima indoles 355.358.361
Wezelinorum hæreſis 74
Wicleffi hæreſis 312.433.334

X.

Xiphilinus Patriarcha Conſtantinop: in aſtutia ſua ab Eudocia deceptus 49

Z.

Zemes frater Bajazethis Turcarum Imperat: 478
Ziska Dux & tyrannus Bohemorum. 388.
391.397.
Zoa Imperatrix Græcorum 23.30.

ERRATA	CORRECTA
p. 25. lin. 7. Epiſcopos	Epiſcopo
p. 31. l. 9. regum	regnum
p. 89. l. 11. in quo	in qua
p. 90. l. 17. dignitate	dignitati
p. 110. l. 15. quàm eſſet	quam par eſſet
p. 116. l. 6. Anagaiæ	Anagniæ
ibidem l. 6. Eduardio	Eduardum
p. 131. l. 25. recipiendos	recipiendas
p. 147. l. 4. Anglus	Angelus
p. 156. l. 5. Sæculo	Secundo
p. 286. l. 7. vetavit	vetuit
p. 235. l. 10. faviſſent	faviſſet
p. 239. l. 8. Nicolaus VI.	Nicolaus IV.
p. 261. l. 29. Avenione	Avenionem
p. 263. l. 27. tum	dum
p. 268. l. 14. libros	liberos
ibidem l. 15. recuperando	recuperanda
p. 269. l. 11. Concinnebant	Concinnabant
p. 290. l. 15. truſtra	fruſtra
p. 301. l. 14. contrati	contra
ibidem l. 15. arma	armati
p. 344. l. 19. cæſis	cædit
ibidem l. 19. inter quas	inter quos
p. 414. l. 27. declinantis	declinantibus
p. 420. l. 26. Francos & Gallos & Anglos	Francos
p. 427. l. 26. Valiconam	& Vaticanam
p. 439. l. 17. auſus	auſos
p. 472. l. 7. Alebreto	Alberto
p. 474. l. 6. diſcordiæ *adde*	inter
p. 478. l. 4. Philippus	*omittatur*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN